Malmström, A. M. De Poenulo
Plautina commentatio

Diss. Lund 1871.

De Punicis Plautinis

Commentatio,

quam

Venia Ampl. Fac. Philos. Lund.

pro gradu philosophico

p. p.

Anders Magnus Malmström,
Phil. Cand., Scanus,

In Auditorio I die XXVI Mai. MDCCCLXXI
Hora a. m. X.

Lundæ
Typis Ohlssonianis
MDCCCLXXI.

[illegible]

[illegible]

Matri optimæ

pie

filius.

> Phœnices, sollers hominum genus et ad belli pacisque munera eximium; literas et literarum opera aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus regnum prœliumque commenti. — *Pomp. Mela*, I: 12.

Inter populos antiquos, qui circa mare medium, quod vocatur, habitantes unus post alterum majore minoreve parte orbis terrarum perdomita inter ceteros principatum tenuerunt, priscis jam temporibus Phœnices opibus atque commercio floruerunt. Quum Græcia atque Italia horridæ et incultæ jacebant, quo tempore Israelitæ ex Ægypto profecti regulis illis victis terra Chanaan potiebantur, Phœnices jam magnis oppidis muniti [1]) et mercatura florentes non solum primo eorum impetui restiterunt, sed facile reprimebant, neque umquam vel potentissimo regno Davidico subacti sunt. Ac jam hoc tempore classibus Indiam et Hispaniam frequentabant [2]), in Græcia iis referta erant omnia, Homerus, quem scriptorem Græcia habuit antiquissimum ex iis, qui ad nostram ætatem pervenerunt, Phœnices

[1]) Gen. X Chanaan dicitur primum filium Sidon peperisse; Jos. XI: 8, XIX: 28 commemoratur צידון רבה, quod Gesenius vertit "metropolis"; Tyrus vero illis temporibus non tantam vim habuisse videtur, nam de hac urbe est solum עיר מבצר צר Jos. XIX: 29; Quibus ex verbis nonnulli putaverunt Tyrum eo tempore nondum fuisse urbem sed arcem solum.

[2]) Quamquam diversissimæ de verbo אופיר prolatæ sunt sententiæ, gravissimi auctores antiqui, ut Josephus Arch. VIII: 6 et Hesychius et multi hujus ætatis viri docti, ut Lassenius, Ritterus, alii hunc locum in India esse putaverunt, qui quidem Abhîram, quæ prope Indum flumen sita est intelligi putat. (Indische Alterthumskunde I: 538). Tharsîs Hispaniam esse nemo non vidit.

sæpe commemorat, atque mores eorum accurate describit [3]; quin etiam audivimus Græcos homines, ceteroquin ortu atque gente superbientes, origines suas ad Phœnices referre auctores [4]. Qui populus, quamquam omnes res, quæ mercatura atque fabricatione comparantur, ad summan perfectionem atque absolutionem perduxerant, quamquam terras remotissimas ab oriente ad occidentem navigandi arte conjunxerant, adhibitis iis adjumentis, quæ tulerunt multa terræ circa jacentes [5], numquam sunt conati terras vi vel fraude feris incolis ademptas humano cultu denuo sibi vindicare, aut terra diutinum condere imperium, immo vero potius tributa accurate solvebant, ut ferebat fortuna, vel ad Memphidem vel ad Nineve, modo essent salvæ ad exteras nationes viæ [6]. Deinde, quum Phœnices, a præpotentibus regibus Babyloniis atque Persicis debilitati aut oppressi, opes et mercaturam Carthaginem ad coloniam, quam habebant florentissimam, transtulissent, ne hæc quidem urbs, quæ "dea gentibus" putabatur, ut ait poëta, quæ senescente paullatim Græcia doctrinam atque humanitatem ad remotissimas nationes propagare poterat, aliud quam lucrum atque mercaturam spectabat. Quamobrem actum erat de imperio Carthaginis, sicut Libyæ populi, quos nullo civitatis aut pietatis vinculo sibi obligavissent, in Africa hostilem exercitum diutius consistere viderunt. Atque tamen tanta erat Phœnicum in omnibus rebus, quæ ad commercium pertinebant, agendis contrahendisque sollertia, ut multis annis postea, quum jamdiu Phœnicia colonias emittere desie-

---

[3]) Od. XIV: 288,

Φοίνιξ ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς
Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κακ' ἀνθρώποισιν ἐώργειν,

IV: 84; XIII: 272 seqq.

[4]) Prellerus Gr. Mythol. II: 23 ostendere studuit nomen esse aricæ originis et comparavit cum *κόσμος*, Græci vero inde ab Herodoto II: 49 Phœnicem appellant.

[5]) Imprimis in hac re illustre est vaticinium Hezechielis, c. XXVII.

[6]) cf. Mommsenium, Roem. Geschichte III: I.

rat et Carthago deleta jacebat, optimam partem Europæ et Africæ Phœnices sua tenerent potestate [7]). Neque tamen ingenii et cogitationis fructus, qui soli populo immortalitatem comparare poterant, gloriæ atque famæ, quam possidebant in antiquitate Phœnices, responderunt. Nobis quidem mirantibus, cur hujus populi, quamvis floruerit in antiquitate, literarum monumenta ad nostram ætatem pervenerint nulla, hæc causa visa est, quod Phœnices neglectis aliis eas solum artes exercuerunt, quæ ad usus vitæ utiles fuerunt et necessariæ. Quo in genere quum multa alia commemorantur apud veteres scriptores inventa, ut vitrum, purpura, ceteraque; tum illud maxime illustre literarum, quas deinde omnes fere populi exculti assumpserunt. Atque etiamsi in hac re Lucano ut poëtæ non magna fides est habenda, qui multo ante Assyrios et Ægyptios Phœnices literis usos esse canit [8]), multi rerum auctores haud contemnendi Græcorum et Romanorum testantur literarum notas se Phœnicibus debere. Plinius sane quidem ab Assyriis semper literas esse usurpatas docet [9]), quod ad literas cuneatas pertineat, quæ et perantiquæ sunt, neque ullam habent cum Phœnicibus conjunctionem. Herodotus expressis verbis dicit: "Phœnices multas alias artes atque imprimis literas in Græciam intulisse". Hunc postea multi

---

[7]) *Οὕτω δ'εὐτυχὴς ἡ ἀποικία τοῖς Φοίνιξιν ὑπῆρξε καὶ αὕτη, καὶ ἡ μέχρι τῆς Ἰβηρίας τῆς τε ἄλλης καὶ τῆς ἔξω στηλῶν, ὥστε καὶ τῆς Εὐρώπης ἔτι νῦν τὴν ἀρίστην νέμονται Φοίνικες κατὰ τὴν ἤπειρον καὶ τὰς προςεχεῖς νήσους. τήν τε Λιβύην κατεκτήσαντο πᾶσαν ὅσον μὴ νομαδικῶς οἷόν τε ἦν οἰκεῖν.*

[8]) Phœnices primi, famæ sic reditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat et saxis tantum volucresque feræque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.
Phars. III: 220.

[9]) H. N. VII: 57.

secuti sunt, ut Diodorus Siculus [10]), Tacitus, Pomponius Mela, Josephus, Clemens Alexandrinus, Eusebius [1]). Romani autem hanc rem ut multa alia, quæ cum Græcis habebant communia, Euandro illi, de quo est in fabulis, tribuerunt. Mommsenio, viro doctissimo, qui hanc rem in dubitationem vocavit, dicens literarum notas aut ab Assyria ut cæli siderumque peritiam aut ab Ægypto, — Ægyptorum quidem ad nostram ætatem scripta pertinuerunt antiquissima, — eatenus concedendum esse puto, ut suarum quemque literarum auctorem esse arbitrer (cuneatis usi sunt Assyrii, Ægyptii hieroglyphicis, quæ appellabantur, Phœnicibus vero eas, quas postea asciverunt Græci et multi alii populi, vindicem. Præterea quidam animadvertit has literas, qua sint simplicitate atque paucitate, imprimis esse aptas ad libellos et adversaria, quibus utantur mercatores, Sinensium vero et Ægyptorum, quæ sint ita compositæ, variæ, multiplices, ut longa demum exercitatione discantur, iis usui esse populis, apud quos ingenuæ artes ad unum ordinem pertineant, ut conservet iis sacras doctrinas, ad quas profano vulgo aditus non pateat. Quod quamquam apud Indos quoque usu veniebat, inter doctos homines hujus temporis constat, et Devanâgarî, quod vocatur, et veterum Persarum literas Phœnicibus ortum debere [2]). Quum

---

[10]) Diod V: 24.

[1]) Tac. Ann. XI: 14 Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant et literarum semet inventores perhibent; inde Phœnicos quia mari præpollebant intulisse Græciæ gloriamque adeptos, tamquam repererint, quæ acceperant. Euseb. Præp. Evang. I: vi: 4. *παρ' ὧν [τῶν Αἰγυπτίων] φασι πρῶτον Ὀρφέα τὸν Οἰάγρου μεταστησάμενον τὰ παρ' Αἰγυπτίοις, Ἕλλησι μεταδοῦναι μυστήρια, ὥσπερ οὖν καὶ Κάδμον τὰ Φοινικικὰ τοῖς αὐτοῖς ἀγαγεῖν μετὰ καὶ τῆς τῶν γραμμάτων μαθήσεως* cet.

[2]) vid. ***Max. Müllers*** Sanskrit-Grammatik in Dewanâgarî und Lateinischen Buchstaben üb. v. Keil u. Oppert § 1: Anm. *Gesenius*, Monumm. Phœn. p. 83 seqq.; *Spiegel*, Grammatik der Huzwaresch-Sprache, p. 26, 34, seqq.

vero propter ubertatem linguæ et formarum varietatem et sermonis ipsius diversitatem accuratioribus notis literarum opus esset, assumptis eorum literis ad sui sermonis usum conformarunt atque effinxerunt [3]). Indicant antiquissima Indorum epigrammata, in quibus et literæ simplicitate ad Phœnicum propius accedunt et scriptura, ut fit apud Semitas, plerumque a dextera parte inchoatur [4]). Neque tamen, si literarum fuerunt inventores, multum in literis profecerunt, ac si quid scribendo illustrare conati sunt, eas maxime artes secuti sunt, quæ ad usus vitæ suppeditandos pertinuerunt. Decrevit quondam senatus Romanorum, ut libri, quos Mago quidam Carthaginensis de agricultura scripserat XXVIII numero, in sermonem Romanorum verterentur [5]) iidemque libri a Columella maxime laudantur [6]). Ceteræ vero artes, ut philosophia, ut eloquentia, jacuerunt. Hannibal ipse, nobili ortus familia atque patriæ amantissimus, commentarios de vita atque bellis suis Græce scrip-

---

[3]) "Der ungemeine Vocalreichthum ihrer herrlichen Sprache (der Inder) zwang sie sich nicht mit der armseligen semitischen Consonantenschrift als solcher zu begnügen; sie waren mit Nothwendigkeit dazu getrieben sich hier einen Weg zu bahnen *Weber*. (Zeitschrift der Deutschen Morgenländ. Gesellschaft X p. 400).

[4]) l. c. p. 389 seqq. (Ueber den Semitischen Ursprung des Indischen Alphabets).

[5]) Plin. H. N. XVIII: 22. De cultura agri præcipere principale fuit etiam apud exteros; — siquidem et reges fecere, — et Pœnus etiam Mago, cui quidem tantum honorem senatus noster habuit Carthagine capta, ut quum regulis Africæ bibliothecas donavisset, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, quum jam M. Cato præcepta condidisset (sc. de re rustica), peritisque linguæ Punicæ dandum negotium, in quo præcessit vir clarissimæ familiæ D. Silanus.

[6]) Columella de re rustica I: 1: 13; cf. Cic. d. Or. I: 58: 249 Num igitur, si qui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura aut imperandum vilico est Magonis Karthaginiensis sunt libri perdiscendi, an hac communi intelligentia contenti esse possumus?

sisse fertur. Doctrina igitur Phœnices non solum a Græcis, sed etiam ab aliis populis antiquitatis superabatur, religione vero Phœnicum quid turpius, quid obscœnius, sacris eorum quid crudelius? dum Semitica gens, quæ et lingua et sedibus illis proxima erat, religionem ex omni antiquitatis memoria purissimam et sanctissimam habebat. Præterea jamdiu doctos homines controversia torquet, num Phœnices Semiticæ originis fuerint, necne. Moversius vir doctissimus longa disputatione docet eos et Semiticæ gentis fuisse et terræ suæ aborigines [7]). Herodotus [8]) enimvero initio libri sui primi Phœnices ex mari Erythræo venisse ait; alio loco, ubi describuntur vestimenta populorum, quos secum in Græciam duxit Xerxes, de illis est: "hi Phœnices antiquitus ad mare Erythræum se habitavisse dicunt; inde Syriam transgressi loca ad mare sita habitant". Bochartus [9]) hunc locum et alia ejus generis affert, atque "tamen ex scriptura constare dicit, Phœnices esse *αὐτόχθονας* et patrem eorum Chanaan jam prima terrarum divisione, in terram Chanaan immigrasse". Nobis vero optime congruere videntur ea, quæ scriptor Genesis de eorum origine habet, quæque Scriptores Græci et Romani de sedibus antiquis ad mare Erythræum narrant. Hunc enim, quicunque fuerit, populum, quocum et lingua et terra usus sit communibus et quocum identidem consociati sint Hebræi, accurate cognovisse probabile est. Qui quum populorum ortus atque familias describit, Phœnices ceterosque Cha-

---

[7]) cf. *Movers* Die Phönizier II: 2: 23 seqq. cf. Ersch und Grubers Encyclopedie sub voc. Phönizier p. 324 seqq.

[8]) Her. I: 1 *Περσέων μεν νῦν οἱ λόγιοι Φοίνικας αἰτίους φασὶ γενέσθαι τῆς διαφορῆς. τούτους γὰρ ἀπὸ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τήνδε τὴν θάλασσαν καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον, τὸν καὶ νῦν οἰκέουσιν, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσι ἐπιθέσθαι* cet. cf. Id. VII: 89: *Οὗτοι δὲ οἱ Φοίνικες τὸ παλαιὸν οἴκεον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ θαλάσσῃ, ἐνθεῦτεν δὲ ὑπερβάντες τῆς Συρίης οἰκέουσι τὰ παρὰ θάλασσαν.* cf. ad h. l. Abichtium.

[9]) S. Bocharti Geographica Sacra L. I: c. XLIII.

naanitas Æthiopiis et Ægyptiis et Mauris (כוש מצרים פוט) annumerat et filios appellat Hami, sive alia de causa, sive, ut Kenrickio [10]) videtur, quod color corporis originem cum illis communem indicaret, et partem terræ calidiorem; neque a vero abhorret Knobelii [1]) sententia eos hanc ipsam ob rem a Græcis *Φοίνικας* i. e. purpureos esse nuncupatos. Cum his conveniunt præter Herodotum, cujus judicium nuper attulimus, Strabo [2]), qui in libro primo habet: *τοὺς Φοίνικας καὶ τοὺς Σιδονίους τοὺς καθ' ἡμᾶς ἀποίκους εἶναι τῶν ἐν τῷ Ὠκεανῷ φασι προστιθέντες καὶ διὰ τί Φοίνικες ἐκαλοῦντο, ὅτι καὶ ἡ θάλασσα ἐρυθρᾶ*; Dionysius Periegeta [3]): *τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν*; Festus:

---

[10]) Phœnicia by John Kenrick, London 1865 p. 48: By placing Chanaan among the sons of Ham with the Ethiopians, Egyptians and Mauretanians (Chush, Mizraim and Phut) the author in the ethnological sketch in Genesis evidently designed to reckon the Canaanites among those nations, whose *adust* complexion indicated a more southern climate than that of the Israelites themselves, whose progenitors were natives of northern Mesopotamia. The difficulty, wich has been felt in admitting, that the Canaanites belonged to the race of Ham, while their language proved their affinity to nations descended from Shem, vanishes, when we observe, that colour and not language was the principle of classification.

[1]) Die Völkertafel von Genesis von August Knobel, Giessen 1850 p. 315 "immerhin muss ihre Hauptfarbe auffallend genug gewesen seyn, da sie nach ihn von den Griechen benannt wurden".

[2]) I: II: 35, cf. XVI: IV: 27: *τοῦ δὲ ποιητοῦ λέγοντος. Αἰθίοπας δ' ἱκόμην καὶ Σιδονίους καὶ Ἐρέμβους, διαπορουσι καὶ τῶν Σιδονίων μέν, τίνας χρῆ λέγειν τῶν ἐν τῷ Περσικῷ κόλπῳ κατοικούντων, ὧν ἄποικοι οἱ παρ' ἡμῖν Σιδόνιοι καθάπερ καὶ Τυρίους τινὰς ἐκεῖ νησιώτας ἱστοροῦσι καὶ Ἀραδίους, ὧν ἀποίκους τοὺς παρ' ἡμῶν φασιν, εἴτ' αὐτοὺς τοὺς Σιδονίους.*

[3]) Dion. Perieg. v. 905 seqq.

Οἱ δ' ἁλὸς ἐγγὺς ἐόντες ἐπωνυμίην Φοίνικες
Τῶν ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν
Οἱ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης.

Schol. ad hoc: *Φοίνικες καλοῦνται διὰ τὸ Ἐρυθραίων ἀπόγονοι, μέτοικοι γὰρ οὗτοι τῶν Ἐρυθραῖοι* p. 362.

Hi rubro a litore quondam
Mutavere domos;

Priscianus de his: "quos misit quondam mare rubrum;" Plinius [4]): "Erythea dicta est, quoniam Tyrii, quod aborigines earum (Gades) orti, ab erythræo mari ferebantur" [5]), Stepha-

---

[4]) H. N. IV: 36.

[5]) Quærenti mihi nominis *Rubri* maris significationem atque originem antiqui scriptores magnopere dissentire visi sunt. Nam, ut eorum sententias breviter perstringam, antiquissimus Herodotus appellat totum illud mare, quod oras alluit Arabiæ, Indiæ, Africæ, *Ἐρυθρὴν θάλασσαν*, atque distinguit inter hoc et sinum Arabicum, qui inter Africam et Arabiam a meridie influit (II: 158). Post vero apud Ptolemæum et Agathemerum eam partem solum maris Indici significare dicitur, quæ est inter fretum Bâb el Mandeb et Arabiæ partem orientalem, quamquam hoc nomen latius patere argumento est liber Arriani, qui inscribitur *περίπλους τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης*, ex quo patet hoc vocabulo etiam sinum Persicum significari posse. Neque magis inter viros doctos et antiquos scriptores convenit, cur ita appellatum sit. Jam Strabo duas affert sententias, unam eorum, qui a Phœnicum nomine ita mare nuncupatum esse censuerint; alteram eorum, quibus quum Sidonii coloni essent eorum, qui ad mare Erythræum habitarent, Phœnices ex maris nomine appellati viderentur, (cf. Strabo I p. 42). Sunt porro, qui nomen Hebraicum ים־סוף cum Græco et Latino conferentes nomen a junci cujusdam rubro colore datum esse dixerint; Dahlmannus deinde in annotationibus ad Herodotum hæc habet: "Gaben hiezu die Porphyrfelsen an der Egyptischen Seite des Arabischen Meerbusens weit hinaus in die See ihren rothen Schein werfend den naturlichen Anlass, so begreift sich nicht warum noch heute die Perser den Gegensatz festhaltend das Mittelländische Meer das weisse nennen". Ut vero sæpe casu ac fortuito nomina locis dantur, ut originem atque genuinam quasi significationem perdifficile sit agnoscere, ita ne de hoc nomine quidem facile quis affirmet pro certo. se vera vidisse atque imprimis sæpe maria atque flumina colore nuncupantur, ubi nulla in aqua cernitur varietas. Quid vero significet nomen, magis in promptu est, quum ex accolarum nomine ductum esse apparet. Quamobrem ex recta rerum ratione Goëjius quidam docuit nomen erythræum ex Sanscrito Aryâthra esse depravatum, quo significetur Arios imprimis in oris habitavisse; Græcos vero linguæ persicæ ignari-

nus vero sub voce *Asotos* hæc habet: *ταύτην ἔκτισαν εἷς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ' ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων*; Justinus de causa, cur sedes pristinas reliquerint, hæc memoriæ prodidit: "terræ motu vexati, relicto patriæ solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt"; omitto etymologicum magnum, Avienum, alios. Quod vero contra disputat Moversius, animadvertens in antiquis fabulis nihil inveniri de migratione sed heroum ac deorum nomina cum locis Chanaaniticis jungi ac copulari, cetera Græcorum commentis tribuens, — Herodoto nempe de sui temporis ac populi rebus auctori fidelissimo non esse credendum narranti de antiquioribus aut externis, — respiciat librorum sacrorum fragmenta, quæ post Sanchuniathonem Philonicum attulerunt Lydus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, alii; nos vero Herodoto auctori rerum gravissimo et de hac ipsa re per homines peritos e Persis ac per Phœnices ipsos (*Περσέων οἱ λόγιοι, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν*) edocto potius fidem habeamus quam vanis hominum opinionibus, quas in Phœnicia exstitisse neque ut multa alia e vicinis populis assumptas esse, quis pro certo affirmet? præsertim quum intervallum plus IV sæculorum inter Herodotum et Philonem intercedat. Quid porro de Græcis, quid de Romanis cogitandum? quorum populorum uterque se suam quisque terram semper habitavisse arbitrabatur, quum hac ætate doctorum virorum consensu comprobatum videmus, ambos populos ex interiore Asiæ parte in Europam immigrasse ac cum Bactriis, Indis, Persis, qui in numero barbarorum ponerentur, communem habere originem. Phœnices vero, sive terræ motibus, sive alia de causa, ex sedibus suis depulsi, quum inter Semitas habitare cœpissent, cum iis, ut postea in Græcia, Sicilia, Hispania factum esse videmus, facile coaluerunt, sed tamen ab illis dijuncti ac dispares habeban-

---

fecisse *ἐρυθρᾶ* deinde longe vitiosius nomine translato Romanos appellavisse *Mare rubrum.* Ac præter alia nomina Arabes habent Bahr el Fars = mare Persicum (*Orient und Occident* herausgg. v. Benfey III Jahrg. 3 heft.).

tur. Levitica enim lex, quæ, quantum fieri potuit, Israelitas a ceteris gentibus sejungere studuit, non omnes in eodem numero habuit, sed multos in civitatem accepit, chanaanitas vero omnes exterminari jussit, quamquam Phœnices, qui ceteris longe præstiterunt, Israelitæ ne aggredi quidem umquam sunt conati [6].

Hæc vero gens, quamquam ita florebat in antiquitate, ut nullum fere negotium majusve commercium inter populos ultra citraque mare habitantes ea invita effectum sit, adeo in oblivionem venit, ut gloriæ atque potentiæ vestigia paucissima, literarum vero tituli solum ac epigrammata, quæ ex reliquiis urbium effodiuntur ad nostram ætatem permanserint. Neque tamen probabile est, populum omnibus rebus abundantem, et per totam antiquitatem vigentem, ac multis artibus excultum libris sua lingua conscriptis caruisse. Nam Carthagine capta senatum Romanorum bibliothecas regulis Africanis dedisse, Magonis vero libros, de quibus ante diximus, in linguam Latinam transtulendos curavisse, Plinius auctor est et Philo Eusebianus Phœnicum *ἱερὰ γράμματα* commemorat. Quæ omnia si nostra ætati salva essent, explicatiorem haberemus de lingua ac fortasse etiam de ortu eorum cognitionem, et fortasse diversis elementis mixtam ac temperatam inveniremus, quemadmodum linguæ Persarum accidisse scimus [7].

---

[6]) In hanc sententiam præter alios disputant: *Feldhoffius* (Die Völkertafel der Genesis in ihrer naturalhistorischen Bedeutung, Elberfeld 1837) p. 109: "Kanaan wandert an die Seite des Arabischen Golfs in das Land Kanaan ein. Es könnte freilich sein, dass Sidon und Heth für den übrigen Stämmen und mehr direkt vom Persischen Meerbusen aus, der gleichfalls Erythræisches Meer heisst, theilweise besetzt haben." *Delitschius* (Commentar über Genezis von Franz Delitsch, Leipzig 1860 p. 295, 630); *Knobelius* l. c. p. 310 seqq.; *Kenrickius* Phönizia p. 39 seqq.

[7]) "Richtig ist zwar, dass diese Sprache nach allen sicheren Spuren, die wir in Münzen und andern Inschriften, im Plautinischen Pönulus und in den zahlreichen Eigennamen entdecken können, mit keiner andern Semitischen so viel verwandtes

Atque tamen longe verisimillimum est eandem fuisse linguam Phœnicum, qua conscriptum sit Vetus Testamentum; nonnullis enim sæculis post Christum natum dialectus illa in Africa manebat; Augustini etiam temporibus agricolæ se Chanaanitas esse dixerunt [8]). Iis vero populis, qui maribus desertisve circumsæpti raro commercio cum vicinis populis conjunguntur, accidere potest, ut linguam suam servent, quamquam plerumque tunc quoque valet ætas ad antiqua mutanda; apud eos vero, qui commercio atque hominum frequentia vigent, multa usu inveterascunt, antiquaque vetustate solum delentur. Qua quidem in re nihil fuit dissimilius quam Phœnices et Judæi, quorum illi omnibus rebus ac populis se immiscebant, hi vero omni ratione ac disciplina a ceteris populis segregabantur. Neque minus religione ac ratione vivendi differunt et discrepant. Atque tamen Judæorum literis Punicæ linguæ reliquiæ illustrandæ sunt atque explicandæ. Nummi præterea et epigrammata maximam partem nomina propria continent, appellativa identidem repetuntur, plura habet locus ille in fabula Plautina, quæ inscribitur Pœnulus. Quem locum quum explicare et tractare instituimus, nullum adjumentum doctis hominibus, qui hunc locum enucleare studuerunt, nos allaturos esse speramus, sed tam multi tamque docti homines in

---

hat als mit der hebräischen. Allein dass dennoch ein ziemlicher Unterschied zwischen dem Phönikischen und dem Hebräischen bestand, würde schon an sich aus der ganzen geschichtlichen Stellung dieser Völker zu einander zu vermuthen sein, da wir ja wissen, wie weit schon sehr frühe ihre Richtungen und Bestrebungen auseinander gingen". (cf. *Ewald* in Zeitschrift für Kunde des Morgenlandes IV p. 400, 401). cf. præt. *Hieronymus* commentt. in epist. ad Galatas præf. in cap. 3: "Galatæ eandem habent linguam atque Treviri, nec refert si exinde corruperunt, quum et Aphri Phœnicum linguam nonnulla ex parte mutaverint et ipsa latinitas et regione mutetur et tempore. (cf. Sall. Jug. LXXVIII de Lepticorum lingua).

[8]) Interrogati rustici nostri, quid sint, Punice respondent Chanani (Augustin. exposit. epist. ad Romanos § 13).

iis versibus expediendis operam consumpserunt, ut ea, quæ multa et diversa de his protulerunt, inter se comparare et judicare magnæ utilitati esse videatur.

II.

Fabulam illam, quæ nomine Pœnulus ad nostram permansit ætatem, jure Plauto tribui quum ex multis aliis rebus nobis persuadetur tum judicio Varronis in omnibus rebus, quæ ad antiquissimas pertinet Romanorum litteras, summi et gravissimi auctoris. Qui quum ex CXXX fere fabulis, quæ Plauti sub nomine ferebantur conscriptæ post ejus mortem ab iis, qui cognito nomine et præclari homines allicere volebant, XXI excepisset, quibus imprimis fidem habebat, quæque omnes præter Vidulariam ad nos pertinuerunt, his ait se annumerare Pœnulum, et alio loco affert exemplum ex hac ipsa fabula, qua re ostendit hanc fabulam probum ac vetustum Musæ Plautinæ opus sibi videri [9]. Unde Plautus hanc fabulam vel certe materiem sumpserit, discimus ex prologi vv. 53, 54 [10]), quos etsi Ritschelius

[9]) De hac re vid. *Ritschelium* "Parerga ad Plautum et Terentium": p. 75: "Von unsern heutigen Stücken sind es zunächst elf, auf welche Citate, die Varro ausdrücklich mit dem Name des Plautus gibt zurückzugehen, obwohl die Stücke nicht genannt sind"; multos affert locos, inter quos Pœnuli V: 68. Hoc ideo attuli, quod apud Weisium dubitari videbam, num sit Plautina fabula Pœnulus (cf. Plauti Comœdd. ed. C. H. Weise Quedlinbg. 1848, ubi post summarium scriptum est: "Scena est in Calydone. Fabula vix videatur Plauti esse").

[10]) In codicibus et apud Weisium hi versus ita scripti inveniuntur:

"*Carchedonius vocatur hæc comœdia*
Latine Plautus patruus Pultiphagonides",

summo jure Plauto abjudicavit ut prologos omnino, perantiquos fuisse constat, ubi appellatur Carchedonius nomine Græcam originem indicante, et Ritschelius in Parergis a Menandro sumptam eam esse docuit.

Fabula Pœnulus ad eas pertinet XII, quæ serius in lucem prolatæ sunt, ac quum essent minus late cognitæ, eo magis turbatæ sunt ac mutilatæ [1]. Quatuor libri manu scripti: Codex Camerarius, cui Moversius de Punicis maxime credit, quemque maximam partem sequitur Heidelbergensis, qui tamen librarium minus peritum prodit, Orsinianus, qui etsi a minus bono fonte derivatur, accurate scriptus est, Lipsiensis denique, qui negligenter et parum accurate imprimis Punica verba transscripsit, iique omnes ab uno eodemque fonte neque tamen integro profecti unici ad nostra tempora fuerunt, quum Maius palimpsestum invenit

---

De quibus est apud Ritschelium l. c. p. 205: Welches Ungestüm von unerhörter Construction. Brauchte es mehr als die Prologe zu Asinaria, Casina, Miles, Mercator, Trinummus und Phormio zu vergleichen um einzusehen, dass der Name Plautus durch Interpolation in der Vers gekommen sei und dass dieses Glossem ein ursprungliches *Græce* verdrängte". Neque tamen conjunctione ita servata expeditior fit sententia. Adjectivum enim Carchedonius ad vocabulum *Latine* male quadrat, Græcum enim esse apparet. Quamobrem *Geppertium* vera vidisse arbitror, qui in editione sua (Berolini 1864) hanc rem ita explicavit": Post versum 53 videntur versus duo excidisse, qui sic redintegrari possunt:

Græce. Latine Pœnulus. Philippides
Hanc Græce scripsit; post id rursum denuo

cet. Scripsi Philippides, ut sequens patronymicum Pultiphagonides habeat quo referatur". Patronymicum tamen illud non referre velim ad Græcum. *Klotzius* sane in lexico comicum nomen Romani hominis esse dicit. *Geppertius* igitur originem fabulæ Philippidi tribuit, Ritschelius (l. c. p. 272 seqq.) vero, quem ego secutus sum, Menandro.

[1]) Uberius de hac re disputat *Bernhardyus*, Grundriss der Römischen Litteratur, vierte Bearb. Braunschw. 1865 pp. 440 seqq.

Ambrosianum, qui et ad Latina et ad Punica nova attulit adjumenta.

Antequam singulos versus explicare instituimus, afferemus ea, quæ de horum versuum interpretatione certa sunt et scita et doctorum virorum consensu comprobata, viamque monstrabimus, quam in diversis sententiis dijudicandis sumus ingressuri. Explosa enim vero est sententia Parei, Petiti, aliorumque, qui orationem per omnes XVI versus, qui in codicibus sunt omnibus præter Palimpsestum, qui X tantummodo habet, continuari putarunt, quos secuti sunt ii, qui sæculo XVII Plautum ediderunt, ut Gronovius, Boxhornius, Ernestus. Bochartus vero, quum, duo versuum genera separatim intuens, nomina propria simili intervallo sequi videret, primos X versus Punicos esse dixit atque Hebraicis literis expressit explicavitque, ceteros reliquit et Libycos esse arbitratus est, sententiam suam confirmans, ut facere solet, allatis locis veterum scriptorum, ubi Phœnices, Pœnique *bilingues* appellantur [2]). Præterea et simili versuum initio, — versus enim I et XI, quamquam magna inest corruptela, cognatos esse quis non videt? — et accurata versionis Latinæ convenientia sententiam suam probavit. Hunc secuti sunt Gualtonius, Adelungius, Clericus, Sappuhnius [3]), Bellermannus vero et Robianus in veterum inciderunt ineptias. Guilielmus Gesenius primus plures codices conferre instituit, et quum Bocharti sententiam palimpsesto confirmari videret, qui decem primis versibus omissis ceteros decem versibus dispertiret, hunc secutus

---

[2]) v. *Bocharti* Geographia Sacra Lib. II, cap. VI: Ego re perpensa accuratius sentio e sedecim versibus decem priores esse Punicos, sex posteriores Libycos in utrisque eadem haberi quæ in Latinis undecim, quibus scenam poeta claudit. Punice nimirum et Libyce Hanno Pœnus loquens inducitur quia utrumque idioma Pœnis erat in usu. Unde est quod vocantur *bilingues* et *migdilibes* et *bisulcilingues*".

[3]) Vide *Gualtonum* in prolegg. ad bibl. polyglotta n:o 17 *Adelungii* Mithridat. I p. 335, *Salmasiun* ad Solin, I: 18.

auctorem ita rem expedit: "Apparet Liby-Phœniciis multa inesse Phœnicia sed varie corrupta maxime decurtata" [4]). Neque vero nos, si hanc rationem in Punicis explicandis admittimus, proficiemus quidquam; primum enim, quem sermonem locuti sint gentes illæ ambigitur deinde ea, in quæ externa verba vitiose inculcata sunt difficillime expediuntur. Neque prorsus Ewaldo [5]) assentiendum est illos vituperanti, qui, ut quasi colorem hebraicum accipiat oratio, a verbis codicum nonnihil recedant. Quum enim Phœnices et Hebræi religione, moribus, totius publicæ et privatæ vitæ ratione dispares inter se fuerint ac dijuncti, hoc etiam quodammodo ad linguam pertinere dicit, ac si quæ in codicibus optimis inveniantur verba, quæ Hebraicis radicibus et sententiis explicari non possint, relinquenda ea esse censet atque aliunde illustranda. Sed ea, quæ in codicibus reperiuntur, quum sæpe talia sint, ut legentes simul de omni-

---

[4]) Gesenii Monumenta Phœnicia, Lib. IV: § 13 (p. 375).

[5]) Ueber das Phönikische der Inschriften und im Plautus (in Zeitschrift für Kunde des Morgenlandes herausgg. v. Chr. Lassen IV: XIX.) "Statt wie man bisher gethan hat auch den äussersten Unsinn in die Inschriften sowohl wie in den Pönulus zu bringen, wenn die Worte nur ein bischen — gut oder schlecht —, hebräisch klängen oder die Lesarten mit völligster Willkühr zu verändern, damit nur der Voraussetzung einer ganz hebräischen Farbe des Phönikischen genügt würde, sollte man doch hier den obersten Grundsatz festhalten, jedes Wort sicherer Lesart, welches sich nicht dem einfachen Sinne und Zusammanhange nach auf eine hebräische Wurzel oder Bildung zurückführen lässt, lieber in seiner abweichenden Art zu lassen und dabei zu warten, ob eben in dieser Abweischung vom Hebräischen durch verwandte Stellen und neuen Entdeckungen immer weiter sich bestätigen werde". Hæc quadam ratione vera sint, et jure dicantur de iis linguis, quæ majoribus literarum monumentis illustratæ ad nos pervenerunt, Phænicum vero lingua, quæ manca et mutila, — nam in epigrammatis vocales literæ desunt, in locis Plautinis consonæ vitiose scribuntur, — adhuc exstitit aut Hæbraicæ linguæ opera, — ad quam proxime eam accedere concedit Ewaldus ipse, — explicanda est aut explicari nullo modo poterit.

bus et de nihilo cogitemus, quomodo aliquid certum erui possit, nisi constituta norma, non assequimur. Quamobrem, ut multa intulit nova atque contorta, ita est a Moversius aliisque jure reprehensus [6]). Ex omnibus vero, qui Punica

---

[6]) Commemoranda præterea est Wexii disputatio de Punicis Plautinis, Lipsiæ 1839. Qui quum in codice Heidelbergensi ante sex ultimos versus scriptum inveniret PHONVS DV., hæc verba ita intellexit, ut sequentes versus sermone vulgari Pœnorum scriptos censeret. Cui quamquam consentit Gesenius, Moversius recte animadvertisse videtur sermonem vulgarem nobili illi Pœno, qui omnes linguas sciret, (cf Prol. vv. 111, 112) male quadrare.

Prætereundo uberius nobis commemoranda est Gesenii sententia. Qui, præterquam quod inter versus Punicos et Liby-Punicos distinguit, illos pedestri, hos prosa oratione conscriptos esse putat. Similitudines ex ceteris linguis Semiticis afferens, ita ratiocinatur: (Monumm. Phœn. IV. p. 368) "Quod a Clerico jam animadversum esse supra vidimus, singulos versus more Arabum aliorumque Semitarum duobus constare hemistichiis, quæ in homoeoteleuta exeant, id nobis eo videtur verosimilius, quo certius simile homœoteleutorum specimen etiam alibi in monumentis Liby-Punicis exstare vidimus". Mirandum vero est virum doctissimum nulla vi textui illata clausularum responsionem effecisse, verum si quærimus hujus rei similitudines, literæ ante Christum natum nos deserunt. Quod enim vir doctissimus ait hemistichia Semitarum in homœoteleuta exire, non satis inter doctos viros convenit. Poësin Hebræorum quæ brevibus sententiis aptis inter se et convenientibus conficitur stropharum vinculo ad absolutionem conjunctis, nullo modo huc trahi posse arbitramur. Allitterationes et Paronomasiæ quæ appellantur, sæpe casu fiunt, maxime vero in gravi ac intenta concione adhibentur, numquam per longam orationis continuitatem servantur. Metra et pedes similes multi in linguam Hebraicam inculcare conati sunt, ut *Josephus* (Antiqq. Lib. II, cap. ult.), *Eusebius* præp. Ev. L. XI cap. 3, *Hieronymus* in præf. ad Eusebii Chron., *Isidorus Hispalensis* Lib. I Originum cap. XXXVIII, homœoteleuta, quantum scio, nemo. Homoeoteleuta primum a Germanis in carminibus adhibita esse docet *Westphalius* (Metrik d. Griechen 2 Aufl. II p. 45: Wir Hochdeutschen sind die ersten, welche diese Revolution vorgenommen den Schlussreim der Kola an der Stelle der alten Allitteration

Plautina expedire conati sunt, nemo tam copiose disseruit, nemo tam multa attulit adjumenta, nemo tam accurate co-

---

zu treten), apud Arabes autem multo antea usu venisse putat *W. Freytagius* (Darstellung der Arab. Verskunst, Einl. § 3: "Dass die Araber ihre Metra von den Griechen erhalten hätten, ist nicht denkbar. Es scheint mir aber als wahrscheinlich, dass, da die Charakter dieser Metra ganz eigenthümlich, aber dem Charakter des Volkes ganz angemessen ist, dieselben auch bei ihnen entstanden und ausgebildet seyen"). Syrorum poesis ut multa alia serioris sunt ætatis (cf. de hac re *Uhlemanni* Gram. Syr. §§ ultimas, *Zingerlius* in Zeitschr. der Deutschen Morgenl. Gesellschaft X p. 110). Persæ metra ab Arabibus sunt mutuati secundum *Geitlinium* (Principp. Gramm. Neopersicæ Helsingforsiæ 1845); secundum *Westphalium* a Græcis. Homoeoteleutis jam Lucretium, Catullum, Tibullum, alios usos esse invenimus sed ex eo genere, quod Leonicum appellatur; hæc vero invitis illis magis atque inconsiderate scribentibus excidisse videntur quam esse ratione ac voluntate adhibita (copiosissime de his disseruit *W. Grimmius* in Abhandl. d. Berl. Akad. d. Wiss.), donec senescente civitate Romana, quum barbaries literas infuscavisset, hæc poesis forma prævaluit (cf. Bernhardyus l. c. p. 331 seqq.). Sed ante omnia videndum est, quamnam rationem metricam inter Punica et Latina intercedere putaverint Grammatici Latini. Fragmentum Sisennæ Scholiastæ conservavit Putschius, ex quo apparet doctos homines illius temporis putavisse Punica eodem metro, quo Latina primum scripta sint esse composita. De quo est apud *Ritschelium* l. c. p. 378: "Pertinet prima annotatio ad Hannonis verba Pœnuli V: I: 1. *Halonium* autem non est credibile Sisennam scripsisse, cujus hæc potius fuerint: *Alonim:* Alon Pœni dicunt Deum. In proximis, nisi plura turbata sunt, nescio an ferri possit: *et producendam syllabam metri gratia exigit iambus* cet". At quærat quispiam: verba Punica quanam ratione sunt præceptis Latinæ linguæ accommodanda? Considerantes vero, qua in omnibus rebus, quæ ad metrum pertinent, usi sint libertate et licentia veteres illi, hac re minus incommodabimur. Vir doctissimus, cujus judicio summam fidem habemus varias doctorum virorum de metris Plautinis sententias perscrutatus, ita de hac re sentit et judicat: "Vi hvarken våga eller kunna uppställa några hypotheser till förklaring af de gamle comiske skaldernas prosodi. Vi tro att deras verser för vår tid måste gälla för oregelbundna inom de gränser, som den methodiskt-kritiska

dices manu scriptos contulit quam Moversius, vir ceterum de rebus Phœnicum cognoscendis optime meritus. Hunc maximam partem secuti sunt ii, qui his XXV annis Punica tractaverunt ut Hitzigius, Kenrickius, alii. Nova attulerunt adjumenta, qui in titulis Punicis explicandis versati sunt; codices denuo contulerunt Geppertius et Studemundius. Sed quoniam latissime comprobantur ea, quæ protulit Moversius, quum de his rebus nobis brevis erit instituenda disputatio, primum diversos textus afferemus, ut sunt a Moversio constituti, deinde ad singula disputantes varias afferemus doctorum virorum sententias ac transferendi conatus, denique, si ullo loco fieri poterit, nostris augebimus.

---

textrecensionen utan afseende på förut fattade åsigter finner *sig* på grund af texternas eget tillstånd i det hela och det enskilda befogad att utstaka. Har grunden legat i det hvardagliga uttalet, så är väl nyckeln till gåtans lösning med detta uttal försvunnen. (Öfversigt af de nyare meningarne om grunderna för Plauti och Terentii versbyggnad af Chr. Cavallin i Tidskr. for Philologi og Pædagogik, Anden Aarg.). Hac libertate si utimur, speramus fore ut Punica et Latina iisdem metricis rationibus tractari possint.

Quum igitur rationibus adducti, quas attulimus, sententias Bocharti, Ewaldii, ceterorum aspernemur, Moversii vero tota dispositio et explicatio ad veritatem propensior videatur, et qui post eum Punica tractaverunt, ut Judas [1], Hitzigius [2], Kenrickius [3], Schroederus [4] aut nihil attulerint novi, aut ejus via et ratione non decesserint, primum ejus expositionem breviter perstringere placet, deinde allato fabulæ argumento diversos textus referre, ut ab iis pro fundamento positis reliqua exordiatur disputatio [5].

Quum jam Bochartus inter duo genera versuum distinxisset, et docuisset utrumque versioni Latinæ respondere, huncque Gesenius secutus esset; Moversius eorum argumenta confirmavit accurata codicum comparatione, sed ostendit ultimos etiam versus, quos Liby-Punicos appellaverunt illi, et Punicos et eodem orationis genere esse conscriptos. Unde autem non duplex textus solum, sed duplex ejusdem

---

[1]) *Judas* de la langue Phénicienne et de la langue Libyque Paris 1847. Chap. II: Traduction des passages Phéniciens du Pœnulus.

[2]) Rheinisches Museum für Philologie etc. 10:ter Jahrg. p. 77: Punisches mit Schrift und in Sprache der Latiner von F. Hitzig.

[3]) Phœnicia Chapter V. Alphabet, Language, Litterature.

[4]) Die Phönizische Sprache, Entwurf einer Grammatik nebst Sprach- und Schriftproben mit einem Anhang enthaltend eine Erklärung der Punischen Stellen im Pœnulus des Plautus von D:r Paul Schröder, Halle 1869.

[5]) Phönizische Texte erklärt von D:r F. C. Movers — Erster Theil Die Punischen Texte im Pönulus des Plautus, Breslau 1845.

textus versio in eandem linguam oriretur? Intuentibus nobis sermones Punicos per diversos actus diversa apparet scribendi ratio in iis, quæ bis occurrunt. Hæc autem varietas duabus ex rebus cernitur, primum enim litera vocalis *y* in decem primis versibus identidem occurrit, in ultimis vero et iis, quæ ex Palimpsesto intelligere licet perraro, deinde etiam in consonis literis significandis diversa ratio fit conspicua. Quoniam autem hi textus diversam indicant originem, uter est antiquior habendus? In Palimpsesto Ambrosiano, quem Maius putat esse confectum Antoninorum tempore, Ritschelius multo antea, ultimi tantum versus inveniuntur scripti, sed numero Latinis illis æquantur (tantum enim abest, ut pro spuriis sint illi versus habendi, ut primarios esse eos putet) et, quatenus satis dilucide conspiciuntur, magis cum Latinis conveniunt, quam sex ultimi, qui scurrili ratione depravati sunt et contorti, ut iis, quæ in proximis scenis inveniuntur, accidisse, satis videmus. Cetera vero Punica scribendi ratione ad Palimpsesti textum et ultimos sex versus accedunt quam proxime. Quæ quum ita sint, apparet textum Palimpsesti esse antiquiorem, sed jam in eum corruptelam invasisse dicit, et correctoris operam esse adhibitam. Quum vero fabulis Plautinis magnus honor haberetur et sæpe docerentur, sed Punica verba ita depravati essent, ut nihil ex iis agnoscere liceret, Latinos versus denuo transferendos curarunt. Sic conflatos esse sedecim versus, quos in omnibus codicibus præter palimpsestum reperimus, docuit Moversius. Magnam vero diversitatem in literis et verbis scribendis in linguarum ipsarum diversissima indole positam esse arbitratur, et eandem inconstantiam deprehendi, quandocunque Hebraica verba Græcis vel Latinis literis reddantur.

Sed hoc etiam concesso, licet verba Hebraica literis Latinis scripta easdem præbeant dissimilitudines, quas inter duos textus invenimus, non casu factum esse videtur, ut hic illa, illic altera scribendi norma per totam orationem sit

observata. Meinekius, vir doctus, qui præter alia reliquias comicorum Græcorum poëtarum edidit, Pœnulum fabulam ex Menandri illa, quæ *Καρχηδόνιος* appellata est, in sermone Latino refectam esse putat. Cui consentit Ritschelius, cujus supra attulimus judicium, Pœnulumque iis annumerat fabulis, quæ ad unum exemplar sunt confectæ neque ex multis compositæ ac temperatæ (*contaminatæ* appellantur Terent. Andr. prol. XVII). Quæ si ita sunt, una cum ceteris Punica verba e comœdia Græca assumpta esse liquet. Lingua autem Hebraica, verbi causa, per multa sæcula sui simillima mansit, atque tamen hoc tempore ab aliis Judæis aliter pronunciatur. Quis igitur jure miretur, si magno temporis et fortasse etiam loci spatio intercedente non fortunæ solum et arbitrio scribentis vocalium diversitatem tribuimus?

Hujus fabulæ sive argumentum omnino, sive actionem variatam et implicitam, et concinne progredientem, sive colloquia festivitate et lepore abundantia, sive totius materiæ dispositionem spectamus, omnia sunt ejusmodi, ut ingenii vim præstantem auctorum agnoscamus. Et vita moresque illius temporis, quo vixit Menander, tam apte describuntur, ut hunc acerrimum humani generis et præsertim sui temporis hominum existimatorem exstitisse facile appareat. Servorum calliditas et astutia apta ad dominorum vesanam crudelitatem, hominum depravati mores et laxa religio, lenonis timida nequitia cum crudelitate conjuncta, veteranorum fastus et proterva commenta, inter omnes parum fidelis societas illud rerum omnium certamen et discrimen indicant, quæ post mortem Alexandri Macedonis secuta sunt. Argumentum fabulæ hoc fere est: Carthagine duo fratres vixerunt, quorum uni, cui nomen Jachon erat, filius surreptus est et Calydonem devectus, ubi a sene Antidamante adoptatus est, qui hospitio cum fratribus illis conjunctus erat. Alteri Hannoni duæ filiæ e suburbio Carthaginis surreptæ sunt cum nutrice Giddeneme et a lenone emptæ, qui

eas Calydonem ille quoque duxit, quæstus faciendi causa. Quarum quum Agorastocles majorem valde amaret, leno autem vana spe amantes illudens pecuniam posceret immensam, ille cum servo Milphione lenonis perdendi consilium init. Subornant vilicum Collybiscum, qui specie transfugæ divitis numerata cum pecunia ad eum devertat. Leno, quum hunc læte accepisset, Agorastocli quærenti, servusne apud eum celatus cœnaret, superbe respondit Milphionem quæri intelligens, Agorastocles autem cum testibus, servo ex composito deprehenso, lenonem in servitutem asseruit. Hanno interea, mortuo fratre, per omnes terras profectus filiarum quærendarum causa, quum Calydonem etiam venisset e navi egressus ita deos invocans inducitur:

1. Deos deásque veneror, qui hánc urbem colúnt,
2. Ut, quod de meá re huc veni, ríte venerím,
3. Measque hic ut gnátas et mei frátris filiúm
4. Reperire mé siritis: dí vostram fidém.
   [Quæ mihi surreptæ sunt et fatris filium]
5. Sed hic mihi ántehac hospes Antidamas fuít;
6. Eum fecisse ájunt, sibi quod faciundum fuit.
7. Ejus filium ésse hic prædicant Agorastoclém
8. Ad eum hospitálem hanc tesserám mecum feró.
9. Is in hisce habitáre monstratúst regionibús.
10. Hos percontábor, qui hinc egrédiuntur forás.

Afferamus deinde antiquiorem textum Punicum, ut est a Moversio et Geppertjo constitutus, collatis ultimis sex versibus 930—935 cum decem illis palimpsesti:

1. את עלונים ועלוניות שקראתים ישכנון
2. מקום זאת כי ימלא תומם הלכותי בעאהי
3. לי לקנת יכך־נא עלונים הלם בנותי יהד
4. בן אח שלי הן איש אשהלך שלי מעלם
5. אטמו אתדמסכן הלם ודבר הפעל
6. ענבות הלך סל תם וכמטרא לפעל
7. את בנמו אש דברים הן יהי אכריסטכלם
8. את אשאנך נטאתי ליח הליכות

9. הלם אש דברים יהי מקום ששבתו
10. אודע אנך לשער בהדי איש אשאל חמון כה יוצאים [6]

Textus recentior (in edd. vv. 920—930) ita est a Moversio dispositus atque emendatus:

1. את עלונים ועלנות שקראתי שמקום זאת
2. כי ימלא כני תמום אשתאל מיתי בער ועם אשהיא
3. לי פה קנת את בנותי יחד אידין בן אחי
4. במרוב שאלהים עלונים ובמישרתמו
5. בעת עלמים אינכה תהולך אנטידמסכון
6. איש שדברים תפעל את כל אשכן תם לפעל
7. את בנם אש דבורת אינכה יהי אגורסטקלס
8. את אמנת יהי חרש ההליכות שאתי נשאתי
9. בי נועד כי אלוך אלה גבלים לשבת המו
10. בהדי איש לתרע אשאל המון כה את יוצים [7]

---

[6]) Moversius ita vertit:

1. Die Götter und die Göttinnen, die ich anrufe, die bewohnen
2. diesen Ort, dass vollendet werde meine Reise ganz, bitte ich;
3. um mir zu lösen, möge es gelingen, o ihr Götter! meine Töchter mit
4. meines Bruders Sohn. Siehe ein Mann, der von Alters her mein Gastfreund.
5. dessen Name Antidamas, war hier; man sagt er that
6. die Pflichten dessen, der in aller Redlichkeit wandelt, und wie es Sitte ist zu thun
7. Dessen Sohn, sagt man hier, sei Agorastocles.
8. Das Zeichen, welches ich führe, ist die Gastrechtstafel.
9. Hier, sagt man, siehe ist der Ort, wo er wohnt
10. Erkundigen will ich mich an der Thüre bei diesen Leuten, und fragen sie, die dort herauskommen.

[7]) A Moversio ita sunt translati in linguam Germanicam:

1. Die Götter und die Göttinnen, die ich anrufe, dieses Ortes,
2. Das vollendet werde meine Absicht ganz, bitte ich kommend in diese Stadt und zu deren Bewohnern;
3. um hier zu lösen meine Töchter mit ihren meines Bruders Sohn,
4. durch der hohen Götter Walten und durch ihre Gerechtigkeit.
5. In vergangener Zeit war hier ein Gastfreund Antidamas

In omnibus codicibus præter palimpsestum Punica ita scripta inveniuntur:

1. Ythalonim ualonuth sicoratsima comsyth [8])
2. Chym lah chunythmumys thyal mycthibaru imisehi [9])
3. Lipho canethyth binuthu adaedin binuthu [10])
4. Birnarob syllohomalonim uyby mysyrthoho [1])
5. Bythlim mothyn moctothuulechanti dasmachon [2])
6. Yssidobrim thyfel yth. chyl! ys chon. them liphul [3])

---

6. ein Mann, von dem man sagte, er that Alles, was der Redliche thun soll.
7. Dessen Sohn, sagt man hier, sei Agorastocles.
8. Zeichen meiner Beglaubigung sei die Gastrechtsmarke, die ich bei mir trage.
9. Man zeigte mir, dass hier jene Gegend sei, wo er wohne.
10. Bei diesen Leuten an der Thür will ich fragen, die dort herauskommen.

[8]) V. 1: *Ythalonim*] *Nythalonim* Urs.; *n. ythalonim* ed. Ven. (n litera in margine scripta est) — *sytalonium* Lips. — *sicoratsima*] *sicorathisima* Urs. Lips. ed Ven. *sicorathisyma* Cam. *si corathissima* ed. Med. — *comsyth*] *consith*. Lips.

[9]) V. 2: *chym*] *chyn* Lips. — *lah chu*] *lachu* Cam. *lach chu* Urs. Lips. ed. Ven. — *ys thyal my*] *ys tyal my*. Urs. ed. Ven. *is tyal nu* Lips. *y stralmy* Cam. (Ritschelius omnino animadvertit literas r et y in hoc codice quam difficillime discerni) — *ru im*] *rij im* Urs. *rii im* Lips. ed. Ven. — *ischi*] *ysehi* Cam. *ischi* Lips.

[10]) V. 3: *lipho*] *lypho* Lips. — *binuthu*] *bynuthi* Cam. *bynuthij* Urs. *bynuthyy* Lips. *bynuthii* ed Ven. — *adaedin*] adedyn Cam. *ad edin* Urs. *ad aedem* Lips. *ad aedin* ed. Ven. — *binuthu*] *bynui* Cam. *binuthij* Urs. *binutyi* Lips. *bynuthii* ed Ven.

[1]) V. 4: *birnarob*] *bymarob* Cam. *byrnarob* Urs., ed. Ven. — *uyby*] *urby* Cam. *yuby* Urs. *iuby* Lips. *uby* ed. Ven. — *mysyrthoho mysyi thobo* Lips. *misyrthoho* ed. Ven.

[2]) V. 5: *bythlim*] *bythlym* Cam. Urs. ed Ven. *bithilim* Lips. — *moctothuulech*] *noctothuulech* Cam. Urs. *noctothu ulteh* Lips. *noctothii uelech* ed. Ven. — *dasmachon*] *damaschon* Cam.

[3]) V. 6: *yssidobrim*] *yssidele brim* ed. Ven. *yssidele brin* ed. Med. *yth*] *ith* Lips. — *chyl*] *chil* Cam. Lips. *ys*] *is* Lips. — *them*] *cham* Cam. *tem* Lips. — *liphul*] *liful* Cam.

7. Uthbinim ysdibur thinnocothnu agorastocles [4])
8. Ythemaneht ihy chirsae lychoth sith naso [5])
9. Bynny id chil lubily gubulim lasi bithym [6])
10. Bodyalit heraym nynuys lymmonchoth lusim [7])
11. Xa nolim volanus succurrati misti maltim acum esse [8])
12. Concubitum abello cutim beat lulacanth chona enus es [9])
13. Huice silihc pan esse athidmascon alem uiduberthe felono buthune [10])
14. Celtum comucro luevi atenim auosuber hyaristoclem [1])

---

[4]) V. 7: *uthbinim*] Ita Urs. Lips. Heidelb. secundum Paréum Baehrius autem Heidelb. *uthbiram* habere dicit — *yth! binim!*] Cam. *uth bynim* ed Ven. — *dibur*] *dybur* Cam. — *thinno*] *thyinno* ed. Ven. *thynno* ed. Med. — *chutnu chot nu* Cam. *cut nu* Lips. *cuth nu* ed. Ven.

[5]) V. 8: *ythemaneht*] *ythemaneth* Cam. ed. Ven. *ythemanche* Lips. — *chyrsae*] *chirse* Urs. *chyrse* Lips. — *lychot*] *lichot* Cam. *lycoth* ed. Ven. *lycot* Lips. — *sith*] *sit* Lips.

[6]) V. 9: *bynny*] *bynni* Lips., ed. Ven. — *luhily*] *lühily* Cam. *lühily* Urs. *luhily* ed. Ven. — *lasibithum*] *lasibithim* Lips. *lasibit thim* Cam. *lasibit thym.* Urs. ed. Ven.

[7]) V. 10: *bodyalit heraym nynnuys*] *bodyalytherayn nynnyurs* Cam. *bodyalyt herayn nunnuys* Urs. *bodialit herayti nynnius* Lips. *monchot*] *moncoth* ed. Ven. — *lusim*] *lusin* Lips.

[8]) V. 11: *Xa nolim*] *exanolim* Urs. Lips. ed Ven. — Cam. *succurati misti maltim acum esse*] *succurratim istim a, çu ltim eē* Urs. *istum athicum esse* Lips. *succuratim mistim atticum esse* ed. Ven.

[9]) V. 12: *abello*] *obello* Lips. — *cutim*] *cutin* ed. Med. — *beat*] *beant* Urs. ed. Ven. *beāt* Lips. — *lulucant*] *lulacanthi* Cam. *lulabant* Lips. *lalacant* ed. Ven. — *chona*] *thona* Lips.

[10]) V. 13: *huice*] *huc ce* Lips. — *silihc*] *silic* Cam. ed Ven. *siliech* Lips. — *pan esse*] *pan asse* Cam. — *athidmascon*] *at idmascon* Cam. *alem*] *alm* Lips. — *ueduberte*] *uiduberte* Cam. Urs. Lips. *induberte* ed. Ven. — *felone*] *selono* Lips. *buthune*] *butune* Cam. *buthume* ed. Ven.

[1]) V. 14: *comucro*] *comuero* Urs. — *luevi lueni* ed. Ven. — *atenim*] *ateim* Lips. — *auos*] *duos* Cam. — *henthya*] henthra Cam. *henthia* Lips.

15. Etteseanehc nasoctelia helicos alemus duberter micomp-suespti [2]) ·
16. Aodaenehc lictor bodes iussum limum colus [3]).

II Act. V. Sc. 2, vv. 22–71.

Mi. Adibo ad hosce atque appellabo Punice.
Si respondebunt Punice, pergam loqui,
Si non, tum ad horum mores linguam vertero.
Quid ais tu? ecquid commeministi Punice?
Ag. Nihil edepol; nam qui scire potui, dic mihi,
Qui illinc sexennis perierim Carthagine.
Ha. Proh dii immortales! hunc ad plurimi modum
Periere pueri liberi Carthagine
Mi. Quid ais tu Ag. Quid vis? Mi Vin' appellem hunc Punice?
Ag. An scis? Mi. Nullus me est hodie Pœnus Punior,
Ag. Adi atque appella, quid velit, quid venerit,
Qui sit, quoiatis, unde sit; ne parseris
Mi *Avo* [חוו] quoiates este aut quo ex oppido? Ha. *Annon Muthumballe becha edre anech*
[חנון מתנבעלי בכר אדרי אנך [4])]
Ag. Quid ait? Mi. Hannonem sese ait Carthagine,
Carthaginensis Muthumballis filium.
Ha. *Avo* [חוו] Mi. Salutat Ha. *donni* [דוני] Mi. Doni volt tibi
Dare hic nescio quid; audin' pollicerier?
Ag. Saluta hunc rursus punice verbis meis. Mi. *Avo donni* [חוו דוני] mihi inquit hic verbis suis.

---

[2]) V. 15: *seanche*] *seanec* Cam. *staneth* Lips. *seaneche* ed Ven. — *nasoctelia*] *nasoch telia* Lips. *helicos*] *elicos* Urs. Lips. ed. Ven. *suespti*] *suestipti* Cam.

[3]) V. 16: *aodaenehc*] *aodeanec* Cam. Urs. Lips. ed Ven. — *limum*] *limnim* Cam. Urs. ed Ven. *limium* Lips.

[4]) "Annon ex genere Muthumballis Pœnus nobilis sum" (Geppertius) *becha edre*] ita Heid; *beccha edre* ed Ven. *baccha edre* ed. Med. *becha edee* Cam. — *anech*] *enche* Heid.

Ha. *Meh arbocha* [מה ערבך [5]] Mi. Istuc tibi sit potius quam mihi
Ag. Quid ait? Mi Miseram esse prædicat buccam sibi.
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.
Ag. Si ita est, nega esse, nolo ego errare hospitem.
Mi. Audi tu: *rufe ennu co is tam* [רפא איננו כה איש תם [6]] Ag. sic volo
Profecto vera cuncta huic expedirier.
Roga, numquid opus sit. Mi. Tu, qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem? aut quid quæritis?
Ha. *Muphursa* [מה פרשה [7]] Ag. Quid ait? Ha. *Mi uulech ianna* [מי ההלך יענה [8]] Ag. Quid venit?
Mi. Non audis? *Mures Africanos* prædicat
In pompam ludis dare se velle ædilibus.
Ha. *Lech lachannan liminichot* [לך לכנן למניכות [9]] Ag. Quid nunc ait?
Mi *Ligulas canales* ait se advexisse et *nuces*
Nunc orat, operam ut des sibi. ut ea veneant.
Ag. Mercator credo est. Ha *is samar bi nam* [איש שאמר בי נעם [10]]
Ag. Quid est? Ha Pal umer gadetha [פלוא אמר גדעת [1]] Ag. Milphio, quid nunc ait?
Mi *Palas* vendundas sibi ait et *mergas datas*

---

[5]) "Quid sibi valt ista tua lingua mixta" (Geppert.) codd. *me har bocha.*

[6]) "Medicus hic non est bone vir" (Gepp.) Pal. *rufeinnycho sstam* ceteri *rufen* (Ven. *rufeen*) *nuco istam.*

[7]) "Quid sibi vult hæc oratio?"

[8]) "Quis puregrinum lædit?" *mi uulech*] ita Cod. Cam. *mu iulech* Heid. *mu uilech ianua* Lips. *moinlec* ed. Ven.

[9]) "Abi in crucem, in carnuficinium" *lech cet.*] *laech lachananim liminichot* Cam. *lalech lach ann mlin ii choet* Lips. *lalech labcana nim liminicoht* ed. Ven. *labchanani* ed. Med.

[10]) "homo, qui comiter de me loquitur" Codd: Ha. *issam.* Mi *Arbinam quidem* Ha. *palum ergo.*

[1]) "Mire orationem contaminas" *palum erga* Codd. *paluin* Lips *detha*] ita Cam. *dectha* Heid. *decha* Lips.

Ag. Quid istuc ad me? Mi Certiorem te esse volt,
Ne quid furtim se accepisse censeas,
Ut hortum fodiat atque frumentum metat,
Ad messim, credo, missus hic quidem tuam.
Ha. Mu-phonnim sucorat, im [[2] מה אפו נאם שקראת המו]
Mi. Hem, cave, si feceris,
Quod hic te orat. Ag. Quid ait aut quid orat? expedi.
Mi Sub cratim ut jubeas sese supponi, atque eo
Lapides imponi multos ut sese neces
Ha. Gune bel balsamem erisan [[3] גארכי כל בעל שמים אחרישנו]
Ag. Narra quid est?
Quid ait? Mi. Non hercle nunc quidem quicquam scio.
Ha. At ut scias nunc, dehinc Latine iam loquar.
Servom hercle te esse oportet et nequam et malum,
Hominem peregrinum atque advenam qui irrideas.

Deinde tesseris comparandis alter alterum agnoscit; Milphio autem statim ab eo petit, ut ad lenonem perdendum operam suam conferat. Hanno, quum decipiendi vias et rationes discit, interrogando sensim eo pervenit, ut filias et nutricem suas esse agnoscat. Milphio autem, omnia simulari arbitrans, gaudet se invenisse adjutorem docilem et hominem ad omnia paratum, qui magistrum superet. Giddenome evocata herum et suum filium agnoscit.

III Act. V, Sc. 3, vv. 22—27, 33, 34.

Puer: *Hau amma silli* Giddeneme: *Hauon bene silli in must ine* 22.
Me ipse etem es iadum etalam estimim
Puer: חו אמא שלי Giddeneme: [4] הוון בני שלי חן מצאתי הנח

[2]) "Quid sibi vult ista oratio obscura, quam illi habes?" *muphonnium sucorahim* Cam. *muphonnium sucoraphim* Heid.

[3]) "Per magnum Bel cœli deum, ego illum tacitum reddam" gunebbalsa . . mliryla. Pal. *gunebel balsameni erasan* Cam. Heid. *gunebel balsemem erasan* Lips.

[4]) "Salva sis mater! Salvus sis mi fili . ecce te hic invenio." *auammaillichauoncanesilltmustide* Pal. *hau dones illi hauon bene si illi in mustine* Cam. Heid.

מי׳ אמצא אתהם אש יחדם אתעלם אנך אשתמם [5])
Ag. Quid illi locuti sunt inter se? dic mihi.
Mi *Matrem salutat* hic *suam*, hæc autem hunc *filium* 25.
Ha. Tace atque parce muliebri supellectili.
Ag. Quæ est ea supellex? Ha. clarus clamor sinę modo
Mi *lachannan* vos [לכנן], quos ego jam detrudam ad molas. 33.
Inde porro ad puteum atque ad robustum codicem.

---

[5]) "Oh quomodo eos invenio, quibuscum una educata sum! Enim vero exsulto" *mipstactemestesdumetalanamcestinum* Pal. *Me ipsi eten este dum etalamna cestiuum* Cam. Heid.

I. Punica quæ in scena prima sunt.

V. I.

1. *Yth alonim valonuth sicorathi simacon syth*
2. *Yth alonim valoniuth sicorathi isthy mhi mahy macom syth*
3. *Ex anolim volanus succuratim isti malti macum esse* [1]).

Considerantibus nobis diversos primi versus restituendi conatus Bocharti explicatio כא אתאלונים ועלוניות שכורת יסכנכון זאת simplicitate et convenientia cum Latino textu: "Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt", multo ceteris præstare videtur, quamquam id habet incommodi, *ut* verbum כא, quod, quamvis imperativum sit, in hebraismo V. T. verbis suffixum solum invenitur, initio versus liberum ac solutum exstet [2]). Cui quum fortasse non adesset tanta lectionum copia non ausus est deserere auctoritatem codicis Ursulini et editionis Venetæ; hac vero litera sublata, quod facili fieri potest, si cum Moversio rogandi verbum in versu sequente legimus, etsi non satis apte Græcum verbum inculcavit et in statu constructo posuit, id recte vidit, verbum quod urbem significet orationis continuitate requiri. At si statu constructo incommodamur, literam verbo, quod sequitur, præfigamus, sin vero vocabulum Græcum usurpa-

---

[1]) Primum affertur textus recentior, ut est in codicibus, deinde, quæ in palimpsesto invenire visi sunt viri docti, denique, quæ in textu depravato versui cuique respondent.

[2]) Bochartum in hoc versu explicando secutus est *Lindemannius* (De Punicis Plautinis Lipsiæ 1837), sed initio ab eo differt, legit enim כתאאל, quæ etsi non falsa lectio (intervalla enim nihil valent in codd.) appellari potest, tamen ut pluralis numeri minus placet. (p. 23—27.)

ri moleste ferimus, non possumus non cogitare de radice קרה, a quo diversissimæ formæ in linguis Hebraica, Chaldaica, Arabica derivatæ urbis habent significationem. Ewaldius neglectis aliis, ut solet, quasi Pythius Apollo, ut cum Cicerone loquar, profert eam sententiam, quam secutus est Moversius, non videns versum, si ita constituatur, duobus vitiis laborare. Primum enim enunciatio relativa שקראתי non habet in Latinis, cui respondeat enunciationi, deinde hoc ipso verbo interposito peccatur contra id, quod in lingua hebraica saltem tenendum est, ut constructum verbum, quod appellatur, vox ea quam proxime sequatur, ad quam pertineat. Verbum סמך, quod Bochartus habet, significatione *fulcire*, *sustentare*, quam habet in linguis Hebr., Chald., Aeth., proxime accedit ad Latinum verbum *colere*. Neque tamen discrepare videtur, si cum Moversio colendi significatio in genitivo inesse putamus. Atque etiam ישכנון ad continuationem orationis optime quadraret, nisi a codicum lectionibus abhorreret. Cum iis maxime congruit, quod habet Hitzigius [3]) ישתמחו, quamquam magis habet lætandi quam tuendi vel habitandi notionem, tamen Arab. 'insamaha, si quid huic similitudini est tribuendum, est "benignum se præbuit". Sed haud scio, an lateat in literis *isthymhi mahy macom* forma verbi ejusdem, quod in textu recentiore invenimus, quodque imprimis in posteriore Hebraismo et lingua Chaldaica usitatum est סמך; quod si ita sit, per duplicem scripturam lectio illa exstiterit; quum enim *hyma hima* scribitur, facile fieri potest ut alterum librario sit tribuenda.

V. 2.

1. *Chy'mla chuny thmum ysthyal mycthi bar uim yschi*
2. *Cy'mbal iumam italavelotha mbiai*
3. *Co'ncubi tumab ellocuti mbeat.*

---

[3]) Hunc sequitur Schrœderus (l. c. p. 302), qui uberius totam hanc lectionem tractat et confirmat.

Ut primum textum recentiorem nobis ad explicándum proponamus, jam primo aspectu apparet, secundum versum Punice scriptum ceteris multo esse longiorem, Latinum autem, qui illi respondeat, et re egenum et verbis abundantem esse, si quidem toti enunciationi: "quod de mea re veni", unum tantum verbum respondeat, necesse sit. Quamobrem ex recta rerum ratione Ewaldius, Moversius, Hitzigius ceterique, qui hos secuti sunt, verbum, a quo dependet oratio, in hoc versu quæsiverunt (אשתאאל, Latine *veneror*). Atque tamen Punico versui plus inesse videtur *quam*, ut Patino versui accurate respondeat. Ut diversas sententias breviter perstringam, omissis veteribus, ut Bocharto, Sappuhnio ceterisque, quippe quorum restituendi conatus nimis a codicibus differant, Ewaldius et Moversius codices secuti sunt, illi quidem, neque tamen rem ita absolverunt, ut nullæ relinquerentur dubitationes. Radix כון sæpissime occurrit neque tamen, quantum scimus, ullum substantivum כון ab ea derivatum significat "Absicht". מחטי בר מטטי, quæ habet Ewaldius accurate ad codicum literas quoque respondent, sed radie שהה, quæ apud chaldæos solum et hebræos posteriores occurrit, significat *morari*, *stupere;* errandi aut delinquendi significationem non inveni. Moversius non sine causa suspicatus est verbum veniendi latere in versu secundo, et concedo, nisi a lingua aramaica vel hebraica, quæ posterioris est ætatis, petatur, non facile hunc versum restitui posse. Ac quum מטא in puro chaldaismo solum occurrat, inclinat animus, ut Moversio consentiam legenti מיתי participio formato ex radice אתא, cujus exstant formæ Syrorum ratione scriptæ, ut חיתיו, Jes. XXI: 14 (3 codd.) cf. Jer. XII: 9. Cetera non ita probanda sunt, non quod pronomen relativum אש displiceat, quippé quod insolitum sit atque in ceteris linguis semiticis minus usitatum, invenitur enim in lingua Samaritana; immo vero hujus vocabuli auctoritatem tuentur epigrammata, ubi אש נדר tam sæpe occurrit, ut locos afferre non sit opus, sed quia pronomen separatum היא, si Moversium sequimur, suffixo re-

spondet cum præpositione conjuncto. Quamobrem, quum Bocharti נסכי, ut rabbinicum et Chaldaicum, minus placeret, Gesenius et Judasius codicem Lipsiensem sequentes חשקי scripserunt, quo facto antecedentia per formam verbi דבר exprimenda sunt, quod jam habuit Bochartus et post eum Gesenius, Judasius, alii, aut cum Schrœdero legendum est ארו אם חשקי, quod tamen in deorum supplicatione minus quadrat, et præterea brevitate laborat, quæ minus apta est ad versus Latini explicatam dictionem. Judasius non inepte *mlah* reddidit מהלך, quod veniendi verbum habeat textus Latinus, sed, quum pro verbo, unde dependeat enunciatio, habeat interjectionem quandam אנה, quam unde sumpserit, assequi non possum, et enunciationem relativam שקראתי, qua fit oratio contorta, ne hujus quidem explicatio mihi satisfecit. Vituperat hic vir doctissimus eos, qui antea Punica tractaverunt, quod Latina parum observantes verbum *rite* non bene reddiderint. Quod verbum hoc loco ut alias ad sacra et religiones spectare putat, quamobrem per דברים vertendum esse censet, quod verbum concedo equidem et in Vetere Testamento et apud rabbinos de his rebus usurpari; neque tamen verbum illud *rite* ita intelligamus, necesse est; nam Cicero ipse habet: "hunc deum rite dixerimus" (de N. D. I: XX), ubi multo latius patet hujus verbi significatio. Quod si ita est, notio verbi, quod est *rite*, jam verbo תם expressa est. Hitzigii de hoc loco sententiam accuratius perscrutari omitto, ut quæ cum Latinis parum congruat; vertit enim: "Dass ich mein Geschäft vollenden möge, bitte ich, zu finden Frömmigkeit; und nachgerade gelinge es" cet. Quid multa? in prima parte hujus versus particula כי manifesta est, deinde verbum a radice לאך vel הלך derivatum deprehendimus, tum formam aliquam radicis תמם, denique rogandi verbum desideramus, ultimam versus partem nemo ita videtur explicavisse, ut tolerabilis fiat sententia, eademque cum Latinis congruat.

Inter viros doctos, qui duobus textibus constitutis,

suam cuique dederunt explicationem, omissis Petito et Bellermanno, quorum explicationes, quum palimpsesti lectiones non haberent, atque orationem per vv. XI—XVI continuari arbitrarentur, insulsæ sunt et perversæ, — Gesenius enim et Bochartius et Ewaldius et Judasius reliquerunt ea, quæ post versum decimum sequuntur, quod enucleari non possent, — inter Moversium dico et Hitzigium et Schrœderum admodum constare vidi, quæ in versu secundo veteris textus contineantur. Schrœderus vero recte ex palimpsesti scriptura, quam invenire sibi visus est Studemundius, verbum אמשאל huic versui inesse putat. Quum autem in explicando verbo *beat* in textu depravato, cui simile aliquid respondet in palimpsesto, omnes cogitaverint de radice בצה, magis id egisse videntur, ut congruerent textus recentior et vetus quam ut, quod Latinis verbis responderet, eruerent. Consideranti mihi autem verba Latina: "Ut quod de mea re huc veni rite venerim", forma quædam verbi בוא prompta et ad cetera apta visa est. Cetera vero et dilucida sunt et simplicia nec, quum omnium explicationes ferri posse videantur, disputatione egent uberiore.

V. 3.

1. *Li pho caneth yth bynuthi iad aedin bin ui*
2. *Ju lecanth econa alonimb alum barid echor*
3. *Lu lacant chona.*

Antequam hunc versum tractare instituimus, certum sit atque fixum, quomodo versus Latini, qui sequuntur, constituendi sint, quibus Punica sunt enucleanda atque illustranda. Hanc quæstionem præter alios Wexius tractavit qui in libro suo, qui inscribitur "Meletemata Punica", ut versus Latini numero Punicis se æquarent, versum: "quæ mihi surreptæ sunt et fratris filium", ut qui oratione languida ac supervacanea iteratis quoque verbis librarii ingenium proderet, rejiciendum esse censuit. Hanc sententiam secuti Moversius, Schrœderus, Geppertius illum versum sustulerunt; retinuerunt Weisius et Judasius. Paullo post

hanc quæstionem retractans alia molitur Wexius: nemini non apparere arbitratur verba illa: "et fratris filium" vitiose in orationem irrepsisse, quum Agorastocle jam puero surrepto multo ante mortem Jachonis se eum inventuros esse desperarent, et hanc corruptelam diasceuastæ tribuit male Punica interpretanti. Tertium igitur versum ita restituit:

"measque hic ut gnatas, quæ surreptæ sunt mihi
reperire me siritis, Di vostram fidem".

Hunc ita disputantem secutus est Hitzigius, concedit autem versu ita constituto, quæ respondeant Punica, cognitu difficiliora fieri. Sed præterquam quod non facile est intelligere, qua ratione duobus locis hæc verba in textum inculcari potuerint, antiqui scriptores, si omnia, quæ melius ac limatius scribi potuerunt, tollere vellemus, prorsus essent reficiendi, quamobrem rejecta hac dubitatione alteram sententiam, quam gravibus rationibus confirmavit, alios viros doctos secutus, accipimus.

Latino textu ita constituto, si ad Punica transimus, jam primo aspectu apparet duos textus inter se valde dissimiles esse, quamquam ex textu depravato nonnulla exciderunt et palimpsesti verba non satis dilucide conspiciuntur. Veteres illi, qui versum, quem nuper delevimus, pro sincero habebant ac Plautino, quum verbo, quod surripiendi significationem haberet, opus esset, *iad aedin* retulerunt ad radicem עדה, cujus significatio in lingua Hebraica, quum non quadraret, a linguis Arabica et Chaldaica similitudines petiverunt. Moversiana rerum explicatio, quamquam præbet multa nova et insolita illa quidem, tamen ita est facilis atque prompta Latini versus expositio, ut præter Wexium et Hitzigium, qui Latina, ut supra diximus, aliter constituerunt, omnes, qui postea hæc tractarunt, minorum majoremve partem probaverint. Ut perscrutemur singula, primum verbum legitur *li* a Moversio. Schrœderus aliique veterem textum secuti habent *lu*. Ego vero, si hæc particula præpositionis in modum verbo ad quod per-

tinet, adjungeretur, facile de textu recentiore codicibus obtemperarem, — codicem Lipsiensem tamen habere *lypho*, ut de textu depravato taceam, prætereundo animadvertere volo — sed mihi recordanti hujus particulæ frequentem atque huic loco similem usum in Vetere Testamento Schrœderiana explicatio vehementer placet. Ut Jes. XI: II: "*redimet denuo* (יוסיף לקנות) *populi reliquias Deus*, cujus generis multa afferre possumus exempla, ubi quasi in eadem causa usurpatur vocabulum קנה. Codicum lectionem *bynuthi* reddidit Moversius *bynuhi* ultimo loco, — bis enim occurrit, — primo loco servavit, quæ mutatio tam est in promptu, ut animadvertisse satis sit. Ex sequentibus verbis *iad aedin*, quantum libris tribuere liceat, in medio relinquo, videor tamen agnoscere substantivum יחד Moversium secutus et formam pronominis suffixi generis feminini. Hoc substantivum occurrit apud antiquos Hebræos in suffixa quadam forma, quæ ad eas pertinet locutiones, quarum, quum multum essent in usu, primaria significatio sensim evanuit. Sin autem cum Moversio, Ewaldio, Schrœdero formam אידין Plauto Phœnicibusque vindicem, commemorem formam *den*, quæ est apud Samaritanos atque eadem singularis et pluralis numeri habet notionem. Atque hæc hactenus; Hitzigius autem, quum sibi persuasum haberet lectionem Wexianam esse admittendam, legit: *ada ed yn binuki* vertitque: "quas mihi surripuerunt neque cum mea voluptate", quo nihil est insulsius et jejunius.

Ex verbis:

lu lecant econa alonimb alum barid echor d..at silli,
quæ Moversius in palimpsesto deprehendere sibi videbar, fecit hæc:

li lecant icona alonimb alum banuti ichad bin ah silli;
Hitzigius et Schrœderus paucis mutatis eum secuti sunt. Recte autem Schrœderus nobis videtur restituisse אחור, quod si in יחד mutatur, vis textui infertur. Restat, ut pauca dicamus de lectione *icona*, quod verbum Moversius reddit: "möge es gelingen". Hoc verbum in ea significatione usurpari non ostendit, neque ullum scimus exemplum, quod

plane sit ejusdem generis, sed transitio talis inter significationes, ut verbi primaria notio sit "rectum esse" derivata "feliciter evadere" non rara est, — et forma Niphal apud Hebræos in illa significatione sæpe usurpatur. Wexius legit אכונה vertens: "ut restituar, ut erigar (ὀρϑοίμην)", sed hæc minus apta sunt et cohærent cum ea lectione, quam supra rejecimus.

V. 4.

Bymarob syllohom alonim ubymysyrthoho.

Inter omnes fere viros doctos, qui Punica explicare conati sunt, ut Bochartum, Lindemannium, Gesenium, Judasium, Ewaldium, Wexium, Hitzigium, Moversium, Schrœderum constare vidi longa hac interpretatione verti in sermonem Punicum priorem partem versus primi Latini textus: "Di vostram fidem". Ac, qui literis Latinis leviter tantum imbutus est, vidit hanc vocem patere latissime, præterea haud inepte Moversius affert verba Donati ad hanc vocem: "commendatorum fida exsecutio atque observantia". De totius versus igitur ratione ac voluntate omnino inter viros doctos convenit; singula autem verba alii aliter intelligunt. Ut omnia ordine exponamus, primum verbum Bochartus, Gesenius, Judasius *berua rob* transscripserunt sequentes quodammodo codicem Ursulinum, vertentes "magno spiritu"; aut "magna virtute", Ewaldius vero et Moversius et Hitzigius et Schrœderus substantivum invenire visi sunt formatum ex ריב aut ערב. Quæ duæ explicationes eodem spectant et æque certis rationibus defendi possunt. Sequitur *syllohom.* Duæ sententiæ prolatæ sunt imprimis dignæ, quas uberius commemoremus, unam, quam inde a Bocharto ad Schrœderum maxime comprobari video consensu virorum doctorum, qui latere inveniunt pronomen relativum cum suffixo et præpositione, alteram Moversii, qui Hebraicum verbum *elohim* deprehendere visus est. Quum autem ii, qui Phœnicum epigrammata accurate didicerunt, numquam se hoc dei nomen invenisse testentur, atque pronominis talis usus, qui articulo respondeat, quamquam inest quæ-

dam orationis redundantia, minime a consuetudine linguæ Veteris Testamenti abhorreat, sequamur potissime Schrœderum. Ewaldii translatio: "durch das Unterpfand des Schattens", cogitat enim de radice צלל, orientem sane redolet; ad Latina minus apta est. De ultimo verbo omnes fere dissentiunt; Bochartus derivavit a radice שור; Gesenius duo ferri posse dicit conferens משרה, Jes. IX: 5, 6 et משטר Job. XXX: 33; Ewaldius habet substantivum a radice אשר formatum; Moversius, Hitzigius, Schrœderus legunt מישרת cogitantes de radice ישר. Ego autem, si ad tantam conjecturarum silvam aliquid de meo addere conarer, sub his literis radicem שרת latere suspicarer, quod in hac re impetranda aptius est deorum auxilium et operam precari quam ut imperio et integro animo adsint. Quum ea, quæ palimpsesti quartus versus habet, partim ad ea, quæ antecedunt, pertineant et a nobis supra sint expedita, partim arctissime cum versu sequenti cohæreant, vel ei respondeant, hoc loco ea omittimus et ad v. 5 transimus.

V. 5.

1. *Byth ilymmoth ynnocho thuulech Antidamaschon*
2. *Thunes ob in esubic silli mbalim essemi tcdamosson alim*
3. *Enus eshuiec silic pan esse athidmascon alem.*

In hoc versu interpretando valde dissentiunt viri docti, neque quidquam præter nomen proprium satis constat. Si vero diversas comparamus sententias, bifariam hunc versum explicari videmus; veteres enim inde a Bocharto ita Punica inchoant: בטרם מות; Moversius vero et Hitzigius et Schrœderus habent בעת עלמות. Veterum si a me probaretur sententia, defenderem mutari sæpe ר literam in ל, occurrere porro hanc ipsam conjunctionem particulæ טרם cum ב persæpe. Neque tamen horum placent sententiæ, quod multo plus Punicis quam Latinis contineantur, si ita legamus. Ewaldius autem uberius explicationem confirmaret, vellem; neque enim apud Hebræos neque Chaldæos derivatum ejus generis, quod hic invenire sibi videtur, occur-

rit; ille autem neque hoc verbum neque cetera, quæ nova textui intulit ac sua, uberius explicavit; verba autem, quæ invenit, in sermonem Germanicum conversa non a Latinis abhorrent. Ac ne forsitan Gesenii interpretatio ut facilis atque simplex apta videatur, — transscribit enim: בטרם מות הן אחות לי ולך אנטידמסכרן et vertit: "Ante mortem ecce amicitia (erat) mihi tecum o Antidama" — hoc animadvertas, velim, hominem alloqui neque cum Latinis neque cum Punicis, ubi commemoretur tertia persona, convenire, deinde pro adverbio loci habet particulam *ecce* (הן). Transeo ad Moversium. Adnimadvertit ipse substantivum עילום, quod est in Paralipomenis, non multum abesse ab eo, quod habeat textus Punicus. Deinde, quo hujus explicatio probetur, potest afferri verbum עולם non semper significare æternitatem, sed de quovis remoto tempore usurpari, ut Jes. XLII: 14, XLVI: 9, LVII: 11, ubi ad exsilii tempus videatur referri. Quæ deinde sequuntur, optime intellexit Moversius, quem secuti sunt Hitzigius et Schrœderus; quo enim loco inculcare conati sunt verba et radices incognitas, quæ sententiam redderent molestam, hic adverbium, cujus, etsi non compositum invenitur, partes tamen apud Hebræos occurrunt. Postea textus recentior habet verbum *thuulech;* latinum, quod est hospes, ita converti, si cetera conveniunt, apparet. Qua quidem in re maxime de radice הלך cogitandum est, quamquam non est mirandum, si hospitium vel hospes in sermone Hebraico non habet, cui respondeat, quum Mosis lex cum gentibus consociari vetaret. Rabbini אוכסין habent transscripto Latino vocabulo, quamquam substantivum ארח in hac notione usurpari non nego. Sed apud Phœnices aliter hæc res sese habebat, neque puto hominem linguarum ambarum peritum tam artificiose et contorte transtulisse latinum substantivum, ut pro concreto poneret abstractum, quod videlicet in statu constructo nomini Antidamæ antecederet. Præfixum illud ת, quum addatur substantivis, sæpissime actionem ostendere verum est, pauca tamen ejusmodi composita homines significant ut

חלמיד, חושב, in quibus Ewaldius parum certis rationibus suffixo illi extenuandi vim tribuit.

In hoc versu duo textus facile inter se conciliantur. Moversius corrigendum esse censet, quod sit in codicibus; pro *en us* legit הן איש; nobis vero tutius videtur retinere substantivum אנוש, præsertim quum linguæ semiticæ omnino hac radice utantur, et interjectio הן supervacanea sit. Sequitur pronomen relativum אש, de quo supra diximus. Ewaldius contra hujus verbi auctoritatem disputat, et exemplum illud, quod attulimus, nihil probare putat, dicens formam verbi esse, quæ, si Arabum sermone exprimeretur esset *intadara*. Quod quadam veritatis specie de hoc exemplo dicatur; permulta vero occurrunt, ut אש יטנא, quæ non eodem modo expediri possunt. Cetera aut facile intelliguntur, aut a nobis tractata sunt.

V. 6.

1. *Ys sidobrim thyfel yth chyl ys chon them liful*
2. *Ueduber tefet denotun mi unec cal thum ucommutro luful*
3. *Ueduber tefel onobut unec el tum comucro luevi.*

In versum facillimum cognitu Bochartus et Bellermannius multa intulerunt nova atque artificiosa, quæ maximam partem "turgidam mortis descriptionem continent", ut ait Gesenius. Ut videmus Bochartum, ceterum haud ineptus, simplicem orationem: "eum fecisse ajunt, sibi quod faciundum fuit", hac translatione ex Punicis reddere: "vir mihi familiaris; sed in eorum coetibus junctus est, quorum habitatio est in caligine". Neque tamen meliora sunt, quæ protulit Gesenius ipse, quod ex ejus interpretatione verborum *thyfel yth chyl ys* videatur, quæ ille Hebraicis literis transscribens חפלות חליץ vertit: "contemnens fatua loquentes". Hanc tamen explicandi rationem postea deseruit [1]) et

---

[1]) Cf. Gesenii Thesaurum p. 1117 b., ubi sub radice סכל habet: "certum hujus radicis vestigium habes apud Pœnos,

Ewaldium secutus est, qui, ut hujus temporis interpretes omnino, duobus locis radicem פעל invenerunt, quæ in omnibus linguis Semiticis excepta fortasse Æthiopica obvia apud Hebræos poëticæ dictioni propria est. Atque hac re potissimum linguæ Hebræorum et Phœnicum inter se differunt, si aliquid interesse putandum est, ut eandem verborum, ut ita dicam, supellectilem diversa adhibeant ratione, ut, quæ verba Hebræi in oratorio et poëtico dicendi genere solum aut alias perraro usurpaverint, sexcenties in titulis Phœnicibus inveniamus, neque multa verba nova et a Hebræis non usitata in sermone Punico, quod adhuc est cognitum, feruntur [2]). Ceterum viri docti inde ab Ewaldio consimili ratione versum sextum interpretantur, neque, quamquam substantivum כון similitudine caret, quamobrem mallem appellare verbum in tempore perfecto et *ys* pronomen relativum esse intelligere, clarior aut melior fieri posse oratio videtur; differunt tamen de forma ***thyfel***, quam Ewaldius et Moversius putant esse perfectum Tiphal, Schrœderus vero, hoc verbo orationem rectam inchoari arbitrans, hanc formam pro 2 pers. impf. Qal habet, Hitzigius autem, quum sibi persuaserit Qoh. X: 15 [3]) præfixum ת esse adhibitum pro י, ne quid discrepet, alia ex ratione effici posse dicit, ut hoc loco תפעל pro יפעל positum sit. Quæ forma, si quidem stirps vel species appellanda est, neque potius aliunde explicanda, hoc habet imprimis mirandum, quod in omnibus linguis semiticis præfixum illud ת, qua sit derivatione, ad formas reflexivas vel, quod non multum inde

Plaut. V: I: 6 ubi pro verbis Latinis "eum fecisse ajunt, sibi quod faciundum fuit" hæc habentur punica "ys sidobrim thyfel yth chyl ys chon them liful", quæ nunc ita scribenda existimo: איש שדברים תפעל את כל שכון תם לפעל, vir, cui dicebant: facis quodcunque facere justum est.

[2]) cf. Schrœderum l. c. Prolegg. pp. 16--22.

[3]) Nisi tota illa sententia haberet, quo commendaretur, facilius expediretur hæc difficultas, si hoc loco verbum עָמָל feminini generis esse statueretur, quod video Gesenium et Dietrichium fecisse.

ȧbcst, passivas fingendas ursurpatur; תרגיל vero, quod idem esse atque recentiorum Hebræorum הרגיל sub oculos cadit et תַּחְרֶה, præter quod in plane eadem significatione occurrit הַחִיָּה, quæ hujus generis sola sunt apud Hebræos, causativam notionem habeant, necesse est. Quod considerantes Ewaldius [4]), Dillmannius [5]), alii ad ejusmodi formas explicandas trahunt formam syriacam *schaphel*, — casu occurrit apud Knoesium [6]) *schargel*, quod idem significat atque Hebr. תרגיל, — et *s* litera, quæ est in decima specie Arabum, sed neque apud Syros, neque apud Æthiopes hujus formæ usus late patet [7]). Sed fac ea argumenta sufficere, quibus probare conati sunt hanc stirpem apud Semitas usu venire; quum causativam habeat significationem, videtur huic loco esse abjudicanda. Ex palimpsesto Moversius, ut solet, laudabili diligentia eruere conatus est, quæ cum recentiore textu et Latinis congruerent, neque tamen ei contigisse arbitror, ut fierent apta ad cetera atque convenientia. A conjungendi notione radicis עכב in substantivo derivato עכבות oriri vult officii significationem, cujus sane transitionis exempla multa afferri possunt ex Germanica et Latina lingua; quod tamen semiticarum linguarum auctoritate non fulcitur, occurrit enim maxime in

---

[4]) Ausführliches Lehrbuch der Hebr. Spr. des alten Bundes von H. Ewald, Göttingen 1870 p. 320 (§ 122 a).

[5]) Grammatik der Äthiopischen Sprache von August Dillmann, Leipzig 1857 p. 121: "Dagegen kommen noch Spuren vor, welche beweisen, dass einst ein noch stärkerer Vorsaz zur Bildung von Causativen in Gebrauch war, nämlich *ta* und häufiger *sa*".

[6]) Chrestomathia Syriaca p. 112 v. 71.

[7]) Hanc sententiam video aspernari Merxium, qui Hoffmanni opus reficiendum curavit, dicit enim: "Sunt qui statuant, præfixum *'a* processisse ex *ha*, quod et ipsum ex *sa* sive *ta* exortum sit. At quum hoc *sa*, Hebraice et Aramaice *scha*, in omnibus dialectis adsit et juxta *'a* (hebr. *ha*) servatum, nescio cur talem commutationem velint statuere, qua omnino nihil expeditur. (Cf. Gramm. Syr., quam post opus Hoffmanni refecit Adalbertus Merx. Halis 1867 p. 217).

nominibus et denominativis, quæ longe aliud valent; apud Æthiopes vero, qui hac radice frequentius utuntur, *'anabaja* est *deliquit*, *defecit*, quæ notio derivatis etiam permansit. Codicum lectionem admodum turbavit, neque tamen Syriacum illud *mutro* multum habet, quo commendetur; nam apud Hebræos posteriores, quorum usus primum spectandus est, *carcer* et *vigilia* significat solum, quam notionem etiam apud Syros prævalere arbitrer. Schrœderus et Hitzigius paucis exceptis Moversium sunt secuti, quamobrem hoc loco eorum sententias uberius tractare nolo.

V. 7.

1. *Yth binim ys diburth ynnocho tnu Agorastocles*
2. *Al tanimau os duberith hem hna Acharistolem*
3. *At enimau os duber hen thy Acharistoclem.*

Si quo loco fieri potest, ut, quæ viri docti ex Plauto investigare conati sunt Punica, iis, quæ in monumentis Phœniciis, quæ minus corruptelæ offeruntur, scripta exstant, illustrentur et confirmentur, hoc imprimis argumento est interpretes illos vera vidisse. Quod eo magis fieri refert, quum verba et locutiones, quæ agnoscere docti viri coguntur in ceteris dialectis non occurrunt aut minus clara sui reliquerunt vestigia. Quum igitur omnes, ut ita dicam, editiones: palimpsestus et recentior textus et qui post eum sequuntur versus, in hoc versu scribendo magis quam alias congruerent, omnesque talia præberent, quæ cum Latinis optime congruerent, Moversius rejecta Gesenii emendatione [8]) suffixum נו, quod in poesi Hebræorum pluralis numeri pronomen 3 pers. esset, apud Pœnos etiam in singulari nu-

[8]) Gesenius primum in monumentis contra omnium codicum auctoritatem legit *byno ys* post autem (cf. H. A. L. Z. 1842 p. 550) majore veritatis specie corrigi putavit *byny iys*, quod est contra usum, quem in transscribendis Punicis observarii videmus. Moversius præterea affert testimonium Hieronym, copulam יש *is* pronunciantis (cf. Hieron. ad Gen. XXX: 18 Tom. II p. 533).

mero usurpari ratiocinatus est. Cujus rei quum nulla invenirentur vestigia apud Arabes aut Æthiopes, sententiam sustinuit afferendo formas antiquas Syrorum המו et plur. המון. Post autem, repertis plerisque monumentis ut titulo Eschmunazaris, et tabula Massiliensi, Moversii sententia comprobata est. Ut in titulo Eschmunaz. vv. 8, 9: אל יכן לם משכב את רפאם ואל יכן לם בן וזרע ויסגרנם וגו׳: "ne sit *illi* quieta sedes apud umbras, neve sit illi filius, neve stirps illius loco, eumque perdant (Dii)", V. II. (אדם אש יפתח) אל יכן לם שרש למט ופר למעל ותאר בחים תחת השמש (agitur de eo "qui sepulchrum aperuerit"): "ne sit illi radix infra, neve stirps supra, neve imago inter eos, qui sub sole vivunt"; in titulo Massiliensi porro est V. 19 בעגלא שקרני לם. "In vitulo, cui sunt cornua *ejus*"; in epigrammate Karthaginensi I: V. 8 בעלשלך בן עכבר על בנם: "hoc vovit Baalschillech Acboris filius pro filio suo" [9]); quæ quidem sufficiant. Cum his comparemus locos in V. T., ubi suffixum מו- pro יו- usurpari statuerunt viri docti, ut Job. XXII: 2, Jes. XLIV: 15, LIII: 8 [10]), cujus generis plura inveniuntur. In iis, quæ sequuntur, radicem דבר agnoscimus, etsi forma talis ut דברת nusquam alibi invenitur; quæ deinde in codicibus variant ita conciliare conatus est Moversius, ut, quam facile ab insciis librariis ex alia ad aliam scripturam transiretur, palæographicis, ut ajunt, rationibus ostendat [1]). Hitzigius autem copulam hoc loco intelligi vult

---

[9]) Cf. de hac re Schrœderum l. c. pp. 155, 156.

[10]) Ejusdem sententiæ est Ewaldius Gr. Crit. § 247 d. (p. 625). "Es lässt sich nicht wohl verkennen, dass dies uralte מו von einigen Dichtern bisweilen schon in der bedeutung eines singulares gebraucht wird". Quamobrem non desino mirari, cur Hitzigio hos locos comparanti (l. c. p. 92) nova atque inaudita linguæ inferri dicat, si Moversianam legendi rationem assumamus.

[1]) Cf. Moversium l. c. p. 75 seqq. v. 7 habet: "ynnocho tnu Agorastocles" v. 14: "heu thy Acharistoclem"; sed in minus accurata scriptura facile mutari inter se TNV et THV et

ut sæpe quidem fit aqud Semitas; quæ si ita sunt, adverbiis redundat oratio. De adverbiis illis supra disputationem instituimus.

V. 8.

1. *Yth emaneth ihy chirs aelychoth sith naso*
2. *Sit .... ida ... nasot basa heltcot.*
3. *Et esseanec nasocte lia elicos.*

Comparantibus nobis hos textus magis magisque veri similis fit Moversii, Hitzigii, Schrœderi sententia, qui hos textus uno eodemque fonte ortos diversa ratione Latina, quæ sint in versibus illis "Deos deasque cet.", exprimere. Nam ex palimpsesto, quæ pauca et manca erui potuerunt, diversis verbis eandem sententiam præbent, quamquam natura fert, ut in loco dubitationum pleno non eodem spectent omnes emendandi conatus. Quæ sunt in recentiore textu, facile expediuntur collatis Latinis. Initio hujus versus eandem plane locutionem deprehendimus quam Jos. II: 12, ubi rubra illa linea, quæ Rahabi in fenestra suspendenda erat, appellatur אות אמת [2]). Neque multum interest, utrum cum Moversio legamus *ihy* an Hitzigium sequentes *hy* articulum esse dicamus, cujus vocali literæ, quæ circumdant, quasi colorem inusserunt, ut sæpe fit in iis verbis transscribendis, modo id observetur, ne verbo constructo solum adjungatur articulus. Quum porro prorsus alienum videatur statuere hoc loco formam hithpaelicam, — neque enim in eadem causa sunt verbum reflexivum et verbum, quod sequitur pronomen reflexivum cum præpositione —, est lectio ea,

---

IHV quod rectum putat. Hitzigius vero et Schrœderus præpositionem את in utroque textu agnoscunt.

[2]) Cf. Hitzigium l. c. p. 90: Da die Trennung der Phönizier und Israels den Anfängen biblischer Literatur vorangeht, so dürfte "emaneth" v. 8 des jungen Textes d. i. אמנת neben biblischen אמת so wenig auffallen wie jenes phönizische חִנך neben חך; beide Male hatte die ursprüngliche Wortform im Phönizischen sich erhalten und auch das *yth* selber vor "emaneth" halten wir vor älter als אות der Bibel.

quam omnes habent codices secundum ceteros textus emendanda, ut fiat נשאתי [3]). — Alterum textum Moversius adhibita lectione versus XV restituit; pro vocabulo *lia*, quod, quominus idem significet atque *chirs*, nihil impedit, Hitzigius, qui Palimpsestum maxime secutus est, habet צץ, cujus sibi visus est deprehendere vestigia; totum versum ita transscribit: שאתי תמיד אנך נשאתי עץ הליכות [4]).

V. 9.

1. *Bynnyid chilluch ily gubulim lasibithim*
2. *Alem us duberim in pi mucop suestiti*
3. *Alem us dubert er micom suestipti.*

Si id agentes, quod semper in his Punicis explicandis tenendum est, ut verba et locutiones non modo sint ad Latina apta et convenientia, sed qua fieri potest maxima simplicitate et perspicuitate Latinæ orationis sensum exprimant, ad versum nonum transgredimur, Moversii explicatio ceteris videtur esse præferenda. Hunc sequerer in omnibus verbis declarandis, nisi usus præpositionis ב ab omnium linguarum Semiticarum consuetudine abhorreret [5]). Ewaldium autem, quum legat בנכחי, codicum auctoritatem et consuetudinem, quæ haberi solet, quum verba semitica per alias literas transscribantur, deserere recte dicit Mover-

---

[3]) Schrœderus putat librarium *'naso* scripsisse, quod Latinum sonaret. Quamquam Ewaldius in fine hujus versus habet נשא; vertit tamen: "meine Beglaubigung und meine Gastcharte trage ich hier".

[4]) Hitzigius, quum (l. c. p. 96) ait: "Die "tessera", welche hier von Holz, im jungern Text eine Scherbe ist dem ältern der Handschrr. nur überhaupt ein Täfelchen vielleicht desshalb, weil man "yst" nicht verstand", fallitur, nam inter omnes viros, qui hanc rem tractaverunt, convenit — id quod etiam ex ratione, qua hospitium inire solebant, patet — tesseram eam aut argilla aut lapide aut metallo factam esse (cf. Movers. l. c. p. 95). Quamobrem ejus sententia minus placet.

[5]) Præpositio *ba*, quam interdum adhibent Persæ ad dativum significandum, non est Semiticæ originis (cf. *Vullersium* sub. h. v.).

sius. Schrœderus, Bochartum quodammodo secutus radicem בין, quam Moversius ferri posse negat, huic loco denuo vindicat rationibus haud contemnendis. Ex lingua Punica duo adhibet exempla, unum, quod præbet verbum דני, de quo loco postea disputatio erit instituenda, quod verbum אדני esse nemo non videt abjecta prima syllaba. Deinde affert titulum neopunicum: לארון לבעל הקדש ביא נעחלמלך h. e. "Domino Baali sancto deo obtulit Na'halmalik", quod epigramma, nisi per aphæresin sublatum esse Hiphilicum præfixum statuimus, non potest explicari. Hebræorum quoque formæ Hiphilicæ eadem ratione contrahuntur [6]), idcirco hoc loco fieri posse docet, ut *bynny* forma Hiphil sit incisa prima syllaba. Ultimam syllabam verbi *bynnyid* scribit יד et vertit: "manu monstraverunt". Quod ne quis propter *i* literam vocalem aspernetur, multa afferri possunt argumenta. Ne de Arabica forma loquar, quæ brevi vocali in hunc sonitum inclinat, Syri habent *īda*, Æthiopes *ede*, Samaritana dialectus sequitur Aramæos. Ac quamquam locutionem הבין יד invenire non potui, hujus substantivi usus apud Hebræos late patet. Cetera, quæ sunt in hoc textu præter suffixum *-m*, de quo supra egimus, jam a Bocharto sunt recte intellecta.

Moversium et Schrœderum si sequimur, vetus textus cum altero paucis exceptis convenit; quum autem ultimum verbum ille explicare non posset nisi mutata *i* litera in *u*, a Schlottmanno est comprobatum י apud Phœnices etiam esse 3:tiæ personæ suffixum. Hitzigii explicandi conatum quamquam minus bene inventum non possum non attingere; legit: מקום מזוזת אפתי, vertitque "Die Stätte der Thürpfoste des Jünglings;" sed elativus apud Hebræos perraro occurrit et radix פתי neque apud Hebræos neque apud Aramæos est: *juvenili ætate fuit*, ut significat Arabicum *fatha*.

---

[6]) Multa hujus generis exempla enumerat Ewaldius (Gr. Hebr. p. 335 § 127 a).

V. 10.

1. *Bodya lythera ynnynu ysl ymmon cho'th lusim.*
2. *Aocca anec lisor bodes .... asil imlimmim oc lus.*
3. *Aode anec lictor bodes jussuml imum co lus.*

Adversus explicationem Bocharti בוא די עלי תרע אנא הנה אשאל אם מנכר לו שם; "Venit aliquis per foras huc; ecce eum percontabor, numquid noverit nomen", animadversum volo, contineri ea plura et alia quam sint in Latinis. Hunc Gesenius, Lindemannius, Judasius maximam partem secuti sunt neque, si quid emendare conati sunt, multum effecerunt. Gesenii et Wexii lectio עבדי ea re laborat, quod et terminatione caret et orationis continuitati repugnat, neque enim servi exibant, sed herus ipse cum servo. Ewaldius hoc recte vidit ultimum verbum esse participium radicis יצא, sed quum habeat initio versus פתחה, peccat contra codices, neque enim ה litera per *d* umquam redditur. Moversius ex loco dubio et incerto effici vult inveniri in lingua Punica pronomen quoddam הודי, quamquam participium ita usurpatum, ut hoc loco fit, non solum pronomine vel substantivo, a quo dependeat, carere potest, sed etiam habet המון, quod sequitur. Quum igitur *bodya*, Moversium si sequimur, supervacaneum fiat ac molestum, alia via explicandi nobis est ingredienda. Ac si admittimus Schrœderi sententiam legentis בעדי, non solum non fit abundans vocabulum illud, sed notionem præpositionis *per* in Latino verbo, quod est *percontabor*, quum verbis compositis non utantur Semitæ, optime exprimit. Venit præterea mihi in mentem verbum בעד in plane eadam causa a Jesaia usurpari, quamquam, verbum דרש habet pro שאל VIII: 19. Atque hæc hactenus. Quum autem ea considero, quæ invenire sibi visi sunt viri docti in palimpsesto, tanta inesse videtur obscuritas, tam multæ res indicant librarium literas turbavisse vel iterasse, ut verear, ne nobis non contingat, ut tolerabilem eruamus sententiam, præsertim quum ne ea quidem, quæ jamdiu sunt depravata, qualiacumque sunt, dilucide agnoscere li-

ceat, nisi ope alterius textus, id quod haud inepte facere conatus est Schrœderus, illa restituimus. Hitzigii vero interpretationem ut a Latinis prorsus alienam hoc loco omitto.

II. Punica, quæ sunt in scenis II et III.

Instituentibus nobis ea, quæ in scenis secunda et tertia inveniuntur Punica, tractare atque explicare, non adsunt duæ ejusdem generis orationes, quibus inter se comparatis vera eruatur sententia, non suppeditat versio Latina, qua amussis et normæ instar proposita, num sint vera ea, quæ quis excogitarit, certo dijudicetur. Nobis quidem, quum codicum varietatem, diversissimos virorum doctorum explicandi et emendandi conatus contemplamur, verius ac tutius videtur cum Bocharto confiteri "nihil certi ex his erui posse". Atque, quamquam non omnia, quæ nobis videmur invenire, sunt ad orationis perpetuitatem apta atque concinna, nihil omnino pro certo affirmari potest, tamen non nulla sunt tam ingeniose inventa, ut iis Latina etiam illustrentur ac perficiantur. Qua quidem in re hoc semper tenendum est, ne ea in orationem admittamus, quibus contra hujus scenæ ac totius fabulæ voluntatem et rationem peccetur, neque ea, quæ a dictionis Plautinæ simplicitate abhorreant. Tenenda præterea sunt orationis contextus ac tenor, intuendi mores personarum, meminerimusque hanc fabulam a Græco scriptam in Latinum sermonem esse translatam. Ac post Lindemannium et Gesenium, qui non ita feliciter Punica conjecerunt, quum Moversius omnino hanc scenam bene et dilucide exposuisset, alia struere conatus est Wexius. Cui quum magis discrepare viderentur codices, quam ut librariis insciis tribueretur, Plautinus quidam diasceuasta,

qui appellabatur, Punica verba ad interpretationem Milphionis, quem Punica optime scire putaret, videtur correxisse. Nobis vero homines ut Milphionem, et qui ejus fuerint similes, qui ad omnia molienda parati fora ac mercatus frequentarint, ea, quæ ad agendum et contrahendum cum illis fuerint necessaria, Punica didicisse probabile est, quamvis linguæ indolem atque naturam non perspexerint. Ac si quid illius diasceuastæ arte adjuvaremur in Punicis explicandis, codices ita inter se differunt, ut nihil impediret, quominus duos pluresve in id operam collocasse statueremus. Quodsi hæc omnia facile linguam peregrinam transscribenti tribui possunt, potius statuamus cum Ewaldio scurram illum Milphionem, quum Hannonem Latina nescire putaret herumque Punice loqui oblitum esse audiret, ut ludibrio esset, uterque verba Hannonis Latinis, quæ similia sonarent, perverse interpretatum esse, donec Hannonis convicio eum "dissimulare se scire" intelligeret, ac se nihil audire confiteretur.

De primi verbi, quod est *avo*, derivatione et notione omnes consentiunt; differunt de forma. De qua re, quum alius aliud attulerit, inclinat animus, ut Hitzigio consentiam, qui perfectum esse putat, infinitivus enim non posset augeri nun illo paragogico, imperativus ab illa terminatione abest. In sequentibus autem, ut nobis persuasum est Milphionem verba Hannonis recte interpretari, ita, qui allati sunt explicandi conatus nobis non satisfecerunt. Moversii explicatio altius est petita, Hitzigii, qui verbum copticum inculcarit, prorsus rejicienda, cum Gesenio et Schrœdero facile verbum, quod est Karthago, latere putarem, si modo intelligerem, qua rationi fieri posset, ut notissimum verbum, cujus mentio fieret in Latinis, corrumperetur. Ut autem ad id, quod sequitur, transeamus hebraicum אדני agnoscimus, quod quum sæpe usurparetur, facile contrahebatur, quemadmodum hoc loco fieri videmus. Moversii porro explicatio verborum Phœnicum, quæ sequuntur, et ad orationis continuitatem quadrat et habet in cognatis linguis

multa similia; radix enim ערב apud Hebræos et Chaldæos est *miscuit*, *commiscuit*, *balbutivit*; apud Arabes hujus radicis conjj. II, IV, V, de impuro sermone usurpantur. Quæ in versu 46 sunt, interpretes inde a Gesenio et Judasio maximam partem recte explicant, singula verba ut sæpe apud Hebræos obvia, nulla egent commemoratione. Versus 50 primum habet: *muphursa*, deinde *mi uulech ianna*, quod utrumque puto optime Moversium esse interpretatum. פרש est apud Hebræos: *exposuit*, *definivit*, *declaravit*, easdemque notiones in linguis Chaldaica, Syriaca, Samaritana invenimus. ענה radix duas potissimum habet in V. T. notiones, *respondendi* et *opprimendi* vel *laborandi*, quarum utraque hoc loco ferri potest. Gesenius et Judasius quum legunt מורה לך יענה (doctor tibi explicabit) cogitarint de locutione illa "docti viderint", cujus proverbii exemplum, nisi attulerint apud Semitas obvium, eo magis videbitur eorum explicatio jejuna et falsa, quod ענה, quantum scimus, numquam est *explicare*. Eodem modo jure dicatur oratio Hannonis languere et frigere, si eum ad servum petulantem dixisse arbitramur, "abiret ad misericordes, ipsi ut esset quies (לך לחננים לי מנוחות), ut volunt Gesenius et Judasius. Ewaldius in hac causa cogitat de Qajino illo, (vertit: gehe. zum bösen Urvater, zur Ruhe d. i. zum Tode), alii, quos merito Moversius dicit mirabiliora proferre quam Milphionem ipsum, vertunt: "abi ad mercatores, ad oras aromatum ("dort, wo der Pfeffer wächst"). Moversio autem contigisse videtur, ut ex loco Plautino ea investigaret, quæ et Hannoni irato essent aptissima, et cum condicione servorum apud Romanus et Pœnos optima convenirent. Quum enim Milphio (sc. III: vv. 34, 35) servos Punicos abducit hæc eum loquentem facit poëta:

Lachannan vos! quos ego jam detrudam ad molas;
Inde porro ad puteum et robustum codicem.

Ut hæc sint inter se connexa et copulata, facile aliquis concludat Punicis quoque verbis contineri convicium aliquod, quorum in oratione Plautina copia redundat. At-

que etiam singula quodammodo alterum alteri respondent; נכה hebraice est percussit, כרן radix significat: *erigere*, qua radice crucis significatio derivato oriri possit, qua poena apud Romanos servi, apud Karthaginienses etiam patricii atque imperatores afficiebantur.

Ceteras, quas attulit Moversius, explicandi rationes probabiles illæ quoque videntur, non quod iis ab omni dubitatione prohibeamur, sed quia ceteris, qui hæc eruere conati sunt, longe præstare videntur. Quæ omnia, quum non tanta diligentia, quantam materies forsitan poscere videatur, propter temporis brevitatem persequi liceret, afferendis iis, quæ maximi momenti videbantur hujus opusculi modum terminavimus.